
1
6
471







# DE HAEMOPTYSI
hoc est
# SANGVINIS SPVTO
*Liber Vnus, & Primus*

Lectionum Romanarum
## DE MORBIS PECTORIS
FREQVENTIORIBVS.

*VINCENTII ALSARII CRVCII*
*GENVENSIS.*



ROMÆ,

Typis Hæredum Gulielmi Facciotti. M D C XXXIII.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

# FERDINANDO II. MAGNO HETRVRIAE DVCI DOM. ET AVGVSTO SVO

VINCENTIVS ALSARIVS CRVCIVS
Eiusdem cum aliis à salute
perp. prec. prosp.

*Mitto ad Celsitudinem Tuam, Magne Dux, magnanimeq; Princeps, libellum hunc meum aliquot quidem ab hinc annis typographo traditum, sed notis, vel typis, nisi nuperrimè, haud cusum, atq; e corpore suo, cui tanquam caput praeminebat, accisum, & mutilatum, ob causas in epistolio ad Lectorem signatas, antè*

*volun-*

voluendum, ac libandum, quàm ipse ad Te accedam, aut Florentiam, aut Pisas, quò me honestißima vocatione (& quali sanè his temporibus accomodatiorem meis rebus ambire nequissem) vocare dignatus es; vt ab hoc, tanquam prodromo, sternatur mihi via ad iter facilius, fœliciusq; peragendum, dico, vt per eundem mihimet etiam num longè dissito aditus ad Tuam beneuolentiam, Tuumq; patrocinium patentior fieri incipiat; quem ob id, bona Criticorum pace, præuiæ materiei dispositioni ad nouæ substantiæ generationem assimilare non verebor. Addo et hanc alteram causam, vt quædam quasi arrha sit, firmumq́; pignus mei erga Celsit. Tuam totamq́; Serenissimam Hetruriæ Prosapiam deuotissimi animi, perennisq́; cultus et obsequij, imò & debiti, quod, pro ingenti Tuo in me merito alio modo repẽdere non possum, perpetuum mnemosinon: dum interea ego in Vrbe ad istam vetutissimam, decantatissimamq́; Prouinciam accingor, mercemq́; literariam, fortasse non vilipendendam, præparo referre ad

Pisanum

*Pisanum emporium bonis artibus, scientijsq; omnibus cumulatissimum; [A] vnde primùm cymbula traiecta est, & in magnis deinde [B] alijs Ciuitatibus in somni cura vicumq; ampliata, ad hoc, vt tandem, ætate superstite (cùm [C] Phœbo auspice, cuius inuentum Medicina est, atq; Astris beneficis, imò, & [D] Cœlicolis ipsis cœlesti prouidentia affulgentibus, in vastissimo Oceano tempestate minime demersa sit) sub tutissima Etruriæ DOMVS Splendissimæ statione, ceu Portu fidissimo, conquiescat; in dies sensim ad publicam diuulganda quantulamcunq; vtilitatem:*

*quando & terræ fluuij ad mare, vnde exeunt, reuertuntur, inde rursum effluxuri. Suscipe ergò fronte hilari munusculum cunctis nominibus (fateor) parui faciendum (si tamen hoc vnum excipiatur, facileq; condonetur, quòd, quale & quantulumcunq; sit, ab intimo ac velut hiante præ lætitia corde emanat) Salueq; Magne Dux, suprà aetatem, omnium consensu, prudentissime, Sydus non nutans, Sol non occasure, & mihi in aestu vndarum, in*

opa-

A. Pisis.

B Bononiæ, Venetijs, Rauennæ, ac deniq; Romę.

C. Duce Deo, qui, Ecc. testãte, creauit Medicinam de terra.

D. Per quos, prę-cipuè DD. Petrũ, & Paulũ, Ioann. Baptistã & Euangelistam, aliosq; meos in cælesti aula patronos, post Sanctissimã Deiparam Mariã, intelligi velim.

opacitate tenebrarum periclitanti unicè, quasi gemini Dioscuri, faustè, prosperéq; rutilans, iterùm, inquam, ac aeternum ex me salue, ò mi Auguste. Romæ Kal. Octob. 1633.

# LECTORI non liuido.

## I. B. S.

EN tibi Lector philiatre, per Illustris Vincentij Alsarij Crucij iatrophysici vbique clarissimi, & in Vrbe prorsus emeriti libellus de Haemoptysi, illa[illegible] in primis, cui Phthisis est finitima, & plerumq; succedanea, nisi interim, à primo ortu, intima eius auerruncetur origo, seu radix, quæ est phlegmonis pullulatio. Perlege alacris. Hauries quippe cum eruditione præclaram doctrinam, methodum singularem, & cum hac selectiora, magisq; vsu probata auxilia, quibus ij omnes, qui animum iam despondent, a morbo, licet saeuo, qualis est illa sanguinis anagog[illegible] quę, vel Poeta arbitre,

*Ad stygias certo limite ducit aquas.*

euadere, ope accedente diuina, valeant. Scio vnum hunc affectum haud satis tuam explere auiditatem, sed acriùs irritare potiùs palatum, quando integro De morbis Pectoris iam consummato inhiabas volumini. Verùm aequi, boniq; facias, precor; suaue interim capiens, prę-

libansq;

libansq; ientaculum, quousque opipara apparetur mensa. Etenim non paucis curis distentum, varijsq; procellis concussum, at minime naufragatum tanti Viri ingenium vix potuit prælo, cui tam solerti opus est industria, velis remisq; operam nauare, suosq; Appollineos propalare conceptus; assidua namq; studia tranquillum non conturbatum postulant animum, mentemq; cupiunt quæ omni citato motu semper vacet. Sic profecto illud Sulmonensis vndec. Metamorph. cadit in Virum hunc.

*An obest quoque gloria multis?*

Attamen, propediem, Deo non denegante, benignioris afflatu auræ, aut etiam Cœli, non modo cunctos medij Ventris Lectitabis affectus, sed & infimi, & Consilia medica, Centuriasq; iam editas castigatiores, & ampliores (sicut alias hactenus minime visas) necnon Lucubrationes multiplices omni prorsus candore refertas, omni promiscua doctrina, & medica philosophia Galeno dicta laqueatas. Fruere modo præsentibus. & vtrumque nostrum dilige.

*Imprimatur,*

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palati Apoſtolici.

*A. Epiſcopus Bellocaſtren. Viceſgerens.*

---

Librum hunc de Hæmoptyſi à Celeberrimo viro D. Vincentio Alſario Crucio elaboratum Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatij mandato diligenter legi. In quo vt eximiam eruditionem,& vberem doctrinam deprehendi: ità nihil animaduerti, quod Catholicæ fidei aduerſetur, vel morum probitati nociturum ſit; Quapropter in lucem emitti poſſe fidem facio, hac die 20. Iulij 1629.

*Ego Baldus Baldus Florentinus Medicus Phyſicus.*

Imprimatur.

*Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri, Ordinis Prædicatorum.*

# AD LECTOREM.

Rectè admodum Actuarius in Præfatione Libri quarti Methodi medendi, *Testudinis*, inquit, *caro, vt est in Prouerbio, aut deuoranda est, aut non gustanda. Equidem nonnihil Prouerbium intorquēs dixerim, varijs multiplicibusque pollicitationibus aut non esse admouēdas manus, aut si manus admoliaris, eas necessariò quoque esse absoluendas; nam neque Vrbs, nisi vndiquaque probè mœnibus fuerit munita, Ciues qui se illius custodiæ commiserunt, tutari poterit, neque artis, aut scientiæ, quæcumque illa fuerit, methodus Lectorem sua præcepta omni ex parte edocebit, nisi omnem eius diuisionem percurrerit, &c.* Quæ quidem Actuarij verba quantùm ad rem meam faciant, seu ad animum, mentemq; propriam declarandam, tuum esto iudicium, Lector candide; Nonnullis enim abhinc annis Tomum edidi in plures libros digestum de Morbis Capitis Frequentioribus, per Lectiones videlicet palàm in hoc Almo Romanorum Gymnasio peractas, tali cura methodoq; conscriptas, vt non difficulter Medici omnes Affectuum illorum cùm Theorexim tum Praxim assequi possint, ibi certò promittens (sicuti & non ità pridem feci ab initio Operis de Quæsitis per Epistolam, quod iterùm non longo pòst tempore tum luculentius, tum castigatius exibit) me, vbi aliquantulum plus otij nactus fuissem, alterum promulgaturum esse Tomum, sub quo libri aliquot de Morbis Pectoris item frequenter valdè nos infestantibus, comprehenderentur, quemadmodum, oblata temporis opportunitate, tertium similiter de Morbis Ventris, quo totum instituti mei argumentum, annuente Deo, absoluetur, præsertim si Consultationes quoque selectiores, quæ vel hodie multæ sunt, addere, vt spero, licuerit. Quare si standum pollicitis est, & inchoati labores ad finem perducendi sunt, cur hæc, & alia ingenioli mei monimenta in tenebris iace-

re, & non potiùs in lucem prodire libenti animo permittam ? Hæc enim palæstra mea vetus est, hoc studium, quò vsus me duxit, & Natura. Vnde nescio quæ infantilis ferè ætatis Opuscula Lucæ primùm, deinde Bononiæ, mox Venetijs, atque Rauennæ diuulgata à me fuere, quorum aliqua esse prorsus puerilia fateor, sed quæ grauis etiam ætas nō improbaret, illa in ætate. Specimen quippe quoddam Genij, si non ingenij, vel tunc emittebat Natura, quæ Medicinæ Dictatori est sine Magistro Magistra. Vtinam hìc illud Pindari τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν. *Optimum omne quod à Natura est*. Rudes etenim mihi esse videntur, & impoliti fœtus, at non fortasse damnandi, aut supprimendi, quatenus saltem prodromi erant cæterorum, quos paritura erat vlterior hæc, & solidior ætas. An ergò nunc ipse imponam mihimet silētij seruitutem, & à doctrinarum studijs, quibus vel ab infantia deditus multùm fui, ab Opusculorum, quotquot pepigi, & concinnaui, promulgatione, tandemq; à rectè, quantum virium tenuitas concedit, operando, me deterrere poterunt contumeliæ, & criminationes, quibus studiosorum labores omnes, & mortalium acta quæque nullo vmquam tempore, vel Salomone teste, non patuerunt ? Felicissimus profectò est ille, in cælestiq; magis ac æterna, quàm lubricis, atque caducis mundi huius Aulis excipiendus, qui odium pro gratia ab hominibus reddi solitum æquo animo ferre, imò & pro iniurijs grates agere habereq; didicit. Talem enim virum & Morales, & Christiani Philosophi ad Cælum vsque extollunt; Qualium apud nos in Fide Catholica, & Ortodoxa infinitus est numerus, inter Ethnicos autem omnium instar sit veteranus ille apud Senecam percelebris, qui interrogatus, quomodo rarissimam rem in Aula consecutus esset, senectutem. *Iniurias*, respondit, *ferendo, & gratias agendo*. Quapropter, vt statutum mihi est ab onere tum studendi, tum scribendi, docendiq; simul humeros minimè subducere, quidquid alij contra me, measq; industrias deblaterare iamdudum cœperint, ita, cum ad altiorem illum gradum acceptas iniurias gratiarum actione compensandi nondum pertingere mihi Deus, ob delicta iuuentutis meæ, concesserit, saltem hoc non inuita voluntate præstabo, vt nec prouocatus etiam calamo, in conuiciandi certamen (non item disserendi, veritatis solùm internoscendæ causa) vmquam descendam, in quo absque no-

minis

minis famæue alterius denigratione pugnari à nemine poteſt, & in quo victorem victo deteriorem fieri ſcripſit Philo, poſt quem Gal. de Animi morb. *Cæterùm*, inquit, *hoc ipſum potiùs tibi ſit ſtudium, hæc exercitatio, vt calumnias, & conuicia æquo animo feras. Quod vbi feceris, & ſatis moratus ſatiſque ſedatus fueris, iamque tuas ipſius perturbationes animo perſpectas habueris, tum aggreditor reſpondere calumniantibus: ſed neque acerbè vmquam id facias, neque redarguendi conuincendiue, aut etiam altercandi ſtudio, &c.* Tantummodò igitur mihi fas ſit cum D. Hieronymo dicere; *Inuidi omne quod ſcribimus reprehendendum putant, & interdum, contrà ſe conſcientia repugnante, publicè lacerant, quæ occultè legunt, in tantum, vt clamare compellar; Domine libera animam meam à labijs iniquis, & à lingua doloſa.* Ità magnus ille Doctor, ac Presbyter Romanæ Eccleſiæ, inter Sãctos meritò cooptatus; cuius verba, veluti & Prophetarum maximi, libẽter attuli, ne quis ſe vnà cum induſtrijs ſuis ab inuidentium aculeis ſartum tectum euadere poſſe confidat, nemini Nemeſi parcente, quidquid de ſeipſo ſummum attingente Lyricorum locum Venuſinus dicat:

*Iam dente minùs mordeor inuido.*

Qui alibi mihi conſentiens aliter canit.

*Noſtra ſed impugnat, nos, noſtraque liuidus odit.*

Vale ex me, Tu docte, ac humane Lector, qui applaudere ingenijs ſolitus es, & cui illud maximè placet,

——— *laudataquè virtus*

*Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.*

Nam & Cygnos non canere Aelianus ait, niſi flãte Zephyro. ζεφυρῷ γὰρ χρήσονται πρός τήν ᾠδήν ἐλαφρῷ καὶ ἐνοδίῳ, inquit Philoſtratus Phaætonte. Vnde in mente Scriptorum omnium hæret quod potiſſimùm de Poetis effertur.

*Nec petitur ſacris niſi tantùm fama Poetis.*

Iterùm dico, vale, & me, meaq; qualiacumque ſunt, ama.

## *ELENCHVS OPVSCVLORVM, quæ in recenti ætate composita, ac edita fuere ab Auctore.*

DE Inuidia, & Fascino Veterum Libellus; Ad Robertum Titium. Lucæ.

Ephemeridum, hoc est, Diurnarum Obseruationum Libri duo priores; Ad Horatium Cardinalem Spinolam tunc apud Bononienses Prolegatum. Bononiæ.

De Epilepsia, seu Comitiali morbo Lectionum Bononiensium Libi tres; Ad Aloysium Georgium Senatorem Venetum. Venetijs.

De Asthmate Consilium pro Bonifacio Cardinali Caetano Æmiliæ de Latere Legato, & de Melonibus Disputatio Hieronymi Rubei cum Epistolis quibusdam Auctoris, & aliorum; Ad Cardinalem Gypsium Nuntium tunc Apostolicum. Venetijs.

Consilium de varijs symptomatibus in Principibus Illustrissimis; Ad Hieronymum Mercurialem, & Ludouicum Mercatum. Venetijs.

De Verme admirando ex altera Narium egresso Disputatio; Ad Aloysium tunc Abbatem, nunc verò Cardinalem Caetanum. Rauennæ.

De Sugillatione, quam Græci ὑπώπιον, idest, sub oculis vocãt; Ad Bonifacium Cardinalem Caetanum. Rauennæ.

De Catarrho Tractatus vberrimus; Ad Nobilem Rauennatem. Rauennæ.

De Salis, & Salitorum vsu in Febribus Dissertatio, & alia quamplura, quorum bona pars Centurijs de Quæsitis per Epistolam inserta est.

# INDEX LECTIONVM, SIVE CAPITVM LIBRI PRIMI.

## Lectio, siue Cap. I.

*OPTIMA cur esse dicitur illa Doctrina, quæ viua voce traditur. Quàm vtilis, imò & necessaria sit cognitio Anatomes partium, de quarum morbis est peragendum. Quid sit Hæmoptysis, aut etiam Hæmaptoisis, ac Hæmoptois. Quid ἀναγωγὴ Hippocrati sit, Aretæoque, & cur hanc ille ἔμετον αἵματος vomitum sanguinis vocat. Vbi eiusdem Aphoris. 8. sect. 7. aliter quàm à Galeno ab Auctore explicatur. Ad quodnam mali genus redigi Sputum sanguinis debeat; In qua re à contradictione Hippocr. ipse liberatur, & ostenditur, cur Affectus hic veriùs toto genere præter naturam esse fertur hæmorrhagia venarum Sedis, Narium, & Vteri; Qua occasione Celsi, Galeni, Auicennæ, & Aristotelis loca dilucidantur. Fuchsius notatur; Itemque Fernelij opinio de Menstruorum qualitate non approbatur. Historiæ adducũtur tam virorum, qui per Os, aut è Naribus, quàm mulierum, quæ ex Pulmonum vasis sanguinem per interualla salubriter profundunt. Hìc Plinij locus de anniuersario sanguinis Sputo in Volusio Saturnino vsque ad nonagesimum suæ ætatis annum enarratur. Quomodo eiusdem mali fiat generatio facultate irritata expultrice, læsaque retentrice. Vbi Argenterij de non læsis actionibus in vulnerata parte argumentum dissoluitur.*

## Lectio, siue Cap. II.

*De eadem Hæmoptyseos generatione per ἀναστόμωσιν, διάπήδησιν, διαίρεσιν. Vbi Galenus sibimet conciliatur, & falsa Asclepiadis opinio reÿcitur,*

*citur, allata Historia cuiusdam, cui per omnes corporis meatus sanguis erumpebat. Præterea pauca de* ῥήξει, *quæ Celso* ῥηγμοχασμός, *&* διαβρώσει, *plura de* διαπηδήσει, *in qua Galeni, Aretæi, & Aristotelis loca dilucidantur. Mox de Causis morborum Hæmoptysim procreantium; Qua in re sudoris cruenti Domini Nostri Iesu Christi Medico-pia ratio tam soluta oratione, quàm carminibus affertur; Quæsitumque discutitur, Cur qui angusto pectore sunt facilè Hæmoptoici, ac Phthisici fiunt. Tandem Problema soluitur; Vtrum mares, aut fœminæ magis hoc morbo corripiantur. Vbi refellitur opinio credentium fœminas ex sanguinis copia, & venæ cauæ amplitudine maribus esse calidiores.*

## Lectio, siue Cap. III.

*Qua ætate potissimùm & Hæmoptysis & Phthisis timeri possint; vbi Hippocr. Aphorismus verior ostenditur ex Commentario Philothei, quam Galeni. Locus Celsi corrigitur, & alter Auicēnæ declaratur. Denique agitur de reliquis Causis, quarum occasione affertur Historia Medici, qui quoties sub Lunæ radijs deambulabat, toties in Sputum sanguinis incurrebat, & ostenditur quamobrem nocturna obambulatio sub hoc Romano Cælo idem mali genus in multis progenuerit, sicut altera Nobilis iuuenis Romani, qui ex immodico aceti vsu, vt gracilesceret, in Hæmoptoidem, atque inde in celerem mortem incidit. Qua in re obiter demonstratur, non expedire plenum corporis habitum ad contrarium arte mutare, idque Celsi testimonio. Demùm aliæ perpulchræ referuntur Historiæ, dico Arati Sicyonij Hæmoptoide ex veneno defuncti, & nescio quorundam, qui veneno hausto Hæmoptysici facti fuerunt, atque Aristobuli, qui sanguinis per Os eruptione iusta Dei vindicta obijt.*

## Lectio, siue Cap. IV.

*Hippocr. locus de* βδέλλα *2. Prorrhet. illustratur, & iuxta Galeni sententiam magis accipitur de sugente Hirudine, quàm de varicosa vena, vt alij tam ante, quàm post Galenum interpretati sunt.*

Vene-

*Venenum è Lepore marino cruoris potissimùm eruptione per Os necare, tam scilicet dilaniatis partibus Naturalibus, quàm corrosis Pulmonum locis, licet non ita sentire videantur Galenus, & Scaliger. Vbi Nicander explicatur, Mathiolusque notatur. Variæ proponuntur Hæmoptysis Differentiæ ratione locorum. Vbi de Vteri consensu cum Pectore, & Ventriculo agitur, & qui sanguis è Thorace, ac Diaphragmate ad Os conscendat, & an idem in cauitate Pectoris, aut in Bronchijs grumescat. Deinceps aliæ adducuntur Differentiæ à Causis, Modo reiectionis, Quantitate, & Qualitate sanguinis, & denique à Coniunctis depromi solitæ.*

## Lectio, siue Cap. V.

*In Hæmoptysi ex Pulmone sanguinem excerni posse tam è vena arteriosa, quàm ex arteria venosa, aduersus Conciliatorem. Quanta sit vtilitas illius partis Medicinæ, quæ Græcè* σημειωτική *dicitur. De Signis indicantibus sanguinem prodeuntem à Capite, & omnibus Oris partibus, velut ab Oesophago, Ventriculo, Hepate, Liene, & Vtero. Vbi cur sanguis & spumosus, & cum Tussi excerni possit, licet à Capite descendat, facilè demonstratur.*

## Lectio, siue Cap. VI.

*De Signis indicantibus sanguinem exeuntem à partibus spiritalibus, hoc est, Trachæa, Pulmonibus, Pectore, Diaphragmate. Vbi an Tussis perpetuò concomitetur sanguinis Sputum ex Pulmonum locis, & cuiusmodi sit, disquiritur, Argenterij super hac re opinione examinata. Item an exeat è vena, vel ex arteria, & an per Diæresim, aut Diapedesim, aut Anastomosim. In quibus Aretæi Problema discutitur; Spumosi sanguinis natura exactè ostenditur, ac tandem soluitur Quæsitum; Cur dolor interdum sentitur magis in alia parte, quàm in ea, quæ continet causam doloris; Vbi Auctoris de Loc. in Hom. verba de dolore in Pulmonia elucidantur.*

## Lectio, siue Cap. VII.

*De Prognostico Hæmoptysicorum, in quo aliquot Hippocratis loca explicantur, ac inter se conciliantur; Cur Hæmoptysi aliquandiu cessanti fidendum non est. An omnis Hæmoptois etiam à Pulmone perniciosa semper sit. Vbi Auicennæ sensus dilucidatur. Purulentum sputum quando & quomodo cruentum antecedat. Quot modis enecet Hæmoptysis, & cur quæ à Pulmone alijs exitialior est; Demùm cur ordinata Hæmoptysis minùs timenda, cum contrà ordo in morbis malus, vt apparet in Accessionibus febrium stato tempore redeuntibus, & in Pulsus intercidentia. Febres vltimi Conclauij occasione subortas Pestilentes fuisse, sed sine Peste, vt Galenus loquitur.*

## Lectio, siue Cap. VIII.

*De eodem Prognostico, in quo obiectiones quædam diluũtur, & Hippocratis locus enarratur. De falsa in morbis tranquillitate, malaque in cunctis indulgentia, quæ pacem abigat. Cur inter Mulieres Hæmoptysicas aliæ statim sanæ fiunt, aliæ morbosæ, & omnino Phthisicæ euadunt; super qua re Schenkij opinio in examen adducitur. Cur sanguis à gingiuis interdum est valde periculosus, velut qui ab arteria, non similiter qui è vena, & demùm cuius screatio est per Diaurosim, non sic per Anastomosim, Diapedesim, Rexim.*

## Lectio, siue Cap. IX.

*De Indicationibus pro recta instituenda Curatione Hæmoptyeosis, moxque de instrumento Diætetico, in quo primùm de Aere agitur, ostendendo quàm necessaria sit in morbis Pulmonum aeris prouidentia, & cur in locis marinis diutius viuitur; Vbi Celsi locus percelebris, in quo nostro in casu per Hyemem laudat loca maritima, per Aestatem verò mediterranea, aliter ac fecerit Ronsseus, ab Auctore explicatur.*

Le-

## Lectio, siue Cap. X.

*De eodem Diætetico instrumento; Vbi vera affertur ratio, cur Hæmoptysicis interdicitur intuitus rerum rubearum, & cur Hippoc. dicit, ea, quæ videntur & audiuntur, concalefacere humores & corpus, quando visus & auditus non extenduntur ad qualitates primas tangibiles, quæ sunt obiectum sensus tactus. Quæ cibandi ratio institui debeat tam ineuñte, quàm progresso iam morbo; Vbi Hippoc. locus 2. Epidem. de Ieiunio, & Lactis vsu in Hæmoptysi illustratur, ac de Suilla carne, & Lacte quædam nõ iniucunda, nec inutilia adducuntur, sicut de Potu vario agitur, maximè verò de vsu Vini, & Aceti, & hìc Celsi opinio de Dulci vino defenditur, sicuti, an Cibi Potusque actu vehementer frigefacti, dico, niue, aut glacie, conueniant, disquiritur. Quo in loco Hippocratis, Galeni, Aetij, & Celsi verba, seu loca explanantur.*

## Lectio, siue Cap. XI.

*De Curatione Hæmoptysis ortæ nomine consensus à Capite, è quo sanguis ad Pectoris intima demittitur, idque per Chirurgiam, & Pharmaciam. Vbi Asclepiadis sententia aduersus ligaturas reijcitur, & Aretæus, dum non dolorificas esse vult, defenditur. Lotio pedum calida, & animi deliquium de Galeni, & aliorum mente inducendum, Auctori cur non placent in hac curatione. Narcotica verò dicta cur interdum conferant, nonnullorum obiectione discussa, & Montani opinione de non exhibẽdo Philonio minimè approbata. Adstringentium vsus in Fluore sanguinis à Capite ad Pectus quando competit, & quando non, deque recta talium auxiliorum administratione, iuxtà Aetij, Rondeletijq; doctrinam.*

## Lectio, siue Cap. XII.

*De eiusdem Affectus Curatione in Mulieribus per cõsensum ab Vtero, tam è fonte Pharmaceutico, quàm Chirurgico depromptis auxilijs. An Menstrua mouentia, & vsus in primis Chalybis, ac rerum*

rum

*rum Chalybeatarum conueniant. Vbi potissimùm de multiplici Aquæ, & Vini Chalybe medicati virtute agitur, Celsique locus de animalibus lienem exiguum habentibus, quòd apud fabros Chalybeatam bibant aquam, confirmatur experimento facto in lienosis hominibus. Hippocratis, Pauli, & Aetij loca, in quibus ad mensium fluxũ cohibendum infernas partes deuinciri mandant, explicantur, nec à Galeno, & communi medendi consuetudine dissentire ostenditur.*

## Lectio, siue Cap. XIII.

*Curatio traditur veræ Hæmoptysis è Pectore, ac Pulmone, per Chirurgicum instrumentum, in quo primùm breuiter de Pharmacis Enæmis, & Alipenis agitur, mox vera adducitur ratio, propter quam in quolibet Sputo sanguinis venæ sectio conuenit. Præterea demonstratur vnde sanguis demitti debet, an scilicet à supernis, vel infernis locis; Iouberti error detegitur, & deniq; quomodo intelligẽdum sit, Galenum ab Hippocrate nõ discrepare in Pleuritide sanguinea, quam ille mitem, hic fortem, ac lethalem nuncupat.*

## Lectio, siue Cap. XIV.

*De Modo, & Quantitate sanguinis extrahendi in propriè sumpta Hæmoptysi. Vbi ostenditur quidnam reuera intelligat Auicenna per subtilem Phlebotomiam, &, post nescio quæ alia Chirurgici fontis, quæritur etiam, vtrum ex vsu sint in cruribus Phænigmi, vel ne. A quibus ad Pharmaceuticum acceditur, in quo de vi Oxycrati, & Coaguli ad grumosum sanguinem dissoluendum, deque multiplici τῶν ἰσχαίμων forma & facultate, à simplicioribus incipiendo; inter quæ pariter de Rhapontico, Rhabarbaro, & Centaurio maiore disseritur. Hic Auerroem iniuria Galenum sugillare, & Mesuem à Iacchino perperàm notari probatur.*

## Lectio, siue Cap. XV.

*De medicamentis quibusdam compositis ad Hæmoptysim, in quibus*

non-

*nonnullæ ex Galeni doctrina emergentes difficultates diluuntur, & Purgationẽ in ea præsente per ſcammoniata, verèque Cathartica minimè conuenire, ſed omninò per hypelata, & clementiora pharmaca, vt nec ſemper præparatione per propotiſmata, ſeu alterantia vulgò dicta, indigere demonſtratur. Vbi etiam de recto Narcoticorum vſu agitur, & cuiuſnam ætatis offerenda Hæmoptyſicis Theriaca ſit, deque huius, & Opij varijs, ac diuerſis virtutibus, contrà Iulij Cæſaris Scaligeri opinionem.*

## Lectio, ſiue Cap. XVI.

*Diſputatur de Opio pro Medicis, contrà Auerroem, ac Valleriolam, ſicut de ſapore amaro, quomodo rebus & ſubſtantijs quibuſdam ineſſe poſſit, quantumuis intenſè frigidis, cum ipſe ſit caliditatis, nō frigiditatis etiam ſoboles; Eiuſdem Opij venenum quibuſnam ſuperetur, & ipſiuſmet Scaligeri de noua Theriaca opinio ſingularis adhùc ampliùs Auerrois teſtimonio exploditur. De Medicamentis extrinſecis Pectori in primis, deinde Hepati, & Cordi admouendis, deque Curatione Morbi huius ex partium ſpiritalium refrigeratione ſuborti. Vbi Galeni methodus defenditur, duæque tandem ſoluuntur difficultates, quarum vna eſt de modo, & forma Eclegmatum; Vtrum craſſæ, vel tenuis, ſeu liquidæ ſubſtantiæ debeant eſſe; Altera de Localibus; Vtrum frigida, & adſtringentia exteriùs Pectori ſint apponenda. Qua in re Galenus ab euidentiſſima contradictione vindicatur.*

## Lectio, ſiue Cap. XVII.

*De Curatione Hæmoptyſis à Diauroſi, ſeu corroſione, facta ab acri, & ſalſuginoſo ſanguine; Vbi non ſolùm Purgationem, ſed & Miſſionem ſanguinis, ſecùs ac ſentire videantur Trallianus, Ioubertus, & alij, conuenire Auctor oſtendit. Inſuper cuiuſmodi eſſe debeat hæc ipſa Purgatio, & quando in ea liceat ad Diagridiata etiam deſcendere, & poſteà de Epiceraſticis, Sarcoticis, & Lacte præcipuè ad mentem Galeni, ac Tralliani peragitur, nec non & de Balnei vſu.*

## Lectio, seu Cap. XVIII.



Idem Indicis Lectionum, siue Capitum Ordo seruatur in cæteris Libris.

# DE MORBIS PECTORIS FREQVENTIORIBVS LIBER PRIMVS.

## DE HÆMOPTYSI.

*OPTIMA CVR ESSE DICITVR ILLA DOCTRINA, quæ viua voce traditur. Quàm vtilis, imò & necessaria sit cognitio Anatomes partium, de quarum morbis est peragendum. Quid sit Hæmoptysis, aut etiam Hæmaptoisis, ac Hæmoptois. Quid* ἀναγωγὴ *Hippocrati sit, Aretæoque, & cur hanc ille* ἔμετον αἵματος *vomitum sanguinis vocat. Vbi eiusdem Aphoris. 8. sect. 7. aliter quàm à Galeno ab Auctore explicatur. Ad quodnam mali genus redigi Sputum sanguinis debeat; In qua re à contradictione Hippocr. ipse liberatur, & ostenditur, cur Affectus hic veriùs toto genere præter naturam esse fertur hæmorrhagia venarum Sedis, Narium, & Vteri; Qua occasione Celsi, Galeni, Auicennæ, & Aristotelis loca dilucidantur. Fuchsius notatur; Itemque Fernelij opinio de Menstruorum qualitate non approbatur. Historiæ adducũtur tam virorum, qui per Os, aut è Naribus, quàm mulierum, quæ ex Pulmonum vasis sanguinem per interualla salubriter profundunt. Hìc Plinij locus de anniuersario sanguinis Sputo in Volusio Saturnino vsque ad nonagesimum suæ ætatis annum enarratur. Quomodo eiusdem mali fiat generatio facultate irritata expultrice, læsaque retentrice. Vbi Argenterij de non læsis actionibus in vulnerata parte argumentum dissoluitur.*

Le-

## Lectio, siue Cap. I.

POST varias in sublimi Aula occupationes, & graue in primis onus, quo in regenda sanctissimæ recordat. Gregorij Decimi Quinti ætate senecta, parumq; firma valetudine, aliquandiù assiduè pressus, à publico huiusce Sapientiæ vocatæ munere (quod anteà supra decennium continuata serie pro viribus exercueram) supersedere coactus fui; en iterum me, cæteris solutum curis, hùc libentissimè contuli, ad intermissos docendi labores resumendos, quorum causa Medicorum tam veterum, quàm iuniorum illustrioris notæ libros, & monimenta euoluam, atque percurram, sub quibus siquid vnquam profeci, aut aliquem posthac profectum faciam, totum hunc libenti animo ad vestram omnium, Iuuenes honestissimi, vtilitatem in apertum efferre studebo. Vnde vos etiam atque etiam hortor, vt, quæcumque dixero, si aliquid in se boni continere videbuntur, in aliquem vsum vestrum opportuna deriuatione conuertatis: Magnus enim solet esse fructus, qui ex viua voce colligitur. Habet namq; nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de Auctoris ore transfusa fortiùs sonat, vt ait D. Hieronymus Epist. 1. lib. 2. Ante quem scripserat Gal. lib. 1. de Alim. facult. ad finem primi capitis, ideò optimam, vt vulgò dici solet, esse doctrinam, quæ viua voce traditur, quia nemo ex Lectione dumtaxat doctus euadit; libri enim sunt ijs, qui antè eruditi fuere, monimenta, non autem rudium, & indoctorũ perfecta doctrina, quę per diffusam tradita enarrationem, accedente postea quoque exercitatione; quippè nullus ex sola doctrina, aut solis libris Nauclerus, aut alterius artis Artifex efficitur, nos tandem peritos in Arte facit. Iam pridem etenim vobis notum est ex Philosophorum Placitis, oculum & aurem duas esse portas intellectus, sed auditum, cuius organum auris est interior, sensum esse disciplinæ; vnde fit, vt natura surdi, sint pariter muti, quia scilicet sermo ex auditu fit. Quare etiam auribus propter operis communionem magna inest simpathia cum vocalibus instru-

ſtrumentis, quæ plura ſunt, & numerantur à Galeno 4. de Loc. affect.7. ideòque apud Ariſtot. 13. Probl. ſurditas datur Pulmonum vitio, qua de re alibi & opportuniùs, & vberiùs. Quoniam autem hoc tempore, quo rurſus ad docendum reuertor, duæ tantummodò ſuperſunt vulgariter dictę Tertiarię, in quibus omnem de Febribus materiam, de qua ab alijs nunc agi audiui, ad vnguem expendere penitusq; abſoluere impoſſibile eſt (multi enim interſunt feriales dies) idcircò in animum induxi meum de Morbis particularibus vocatis vobiſcum verba facere; ſed quia & hi morbi multiplices ſunt, nec adeò breui temporis ſpatio abundè, prout decet, examinari poſſunt, præſertim Capitis, & Ventris, ea propter de morbis Pectoris ſolummodò ſermonem habere cõſtitui; qui quidem licet numero ſint pauciores, attamen cognitionis, curationisq; difficultate cæteris neutiquam cedunt. Quam prouinciam eò etiam alacriùs ſuſcipio, quia frequenter admodum in quotidiana praxi exercenda vobis illos occurrere obſeruabitis, & ijdem ſæpiſſimè Tyronibus Doctoratus Laurea inſigniri cupientibus à Collegiorum Medicis pro examine offeruntur. Hoc autem in loco minimè eſt ſilentio inuoluendum, neceſſariam, non modò vtilem, rem futuram vobis eſſe, ſi partium omnium, quæ intùs in Pectore ſunt, & extrà, quandam velut Anatomem vndique perſpectam habere curabitis; Per quam quidem vocem intelligo non ſolùm διαγραφὴν, aut potiùs ſcientiam, quæ partis cuiuſque naturam, ſub qua comprehenduntur ſubſtantia, magnitudo, numerus, compoſitio, connexio, ſitus, temperies, actio, & vſus, exquiſitè rimatur, ac inueſtigat, de qua mirè inter neotericos Veſalius, Fallopius, Columbus, Capiuaccius, & Laurentius, ſed & eam, quæ in actione conſiſtit, & Anatome Practica dicitur, manuum operatione perfici ſolita, vt ſi eam exercere nolitis, eidem ſaltem, cùm ab alijs celebratur, quàm frequenter intereſſe non dedignemini. Vix enim exprimi poteſt, quantùm vtraque perfecto medico conferat ad διάγνωσιν, πρόγνωσιν, καὶ θεραπείαν affectuum quorumcumque. Ideò quod Herophilus, ſi non Hippocrates, ab initio libri de Loc. in Hom. ſcripſit; Natura corporis (alibi de temperamento accipi etiam poſſe credidi) principium eſt in Arte medica, hùc maximè adduci poſſe videtur, & quod clariùs Latinus annotauit Hippocrates, dico, Celſus lib.4.cap.1. illis in ver-

bis;

bis; Omnium interiorum morbi, curationesq; in notitiam venient, si priùs eorum sedes breuiter ostendero. Id ipsum passim traditum apud Galenum inuenietis, & præsertim in Libris illis aureis de Locis affectis. Quamobrem & ego, vbi sese offeret occasio, (offeretur autem quàm sæpissimè) materiam adeò fructuosam sicco pede, vt aiunt, non transgrediar. A quo nam itaq; Pectoris affectu exordiendum? A frequentissimo in praxi, & quo vix alius in ea difficilior, periculosiorq; inuenitur. Est autem qui Græcè αἱμόπτυσις, vel αἵματος πτύσις, Hæmoptysis, Hæmaptoisis, ac Hæmoptois, Latinè Sanguinis sputum nuncupatur, de quo loquens Celsus ait; Magis terreri potest aliquis, cùm sanguinem expuit, & Alexander Trallianus, Haud noui, inquit, an aliud æquè periculosum sit pathos, vt sanguinis screatio; per quam non simpliciter sanguinis sputum intelligere debetis, sed potiùs reiectionem, fluoremue, qui à sputo propriè sumpto clarissimè differt. Quandoquidem, vt videre est apud Cęlium Aurelianum lib. 2. cap. 9. sputum sanguinis dicitur, quoties pituitæ permiscetur, modicumq; ac congestum id est quod excernitur; fluor autem cùm sub quantitate multa sanguis expuitur, rutilans & minimè congestus. Hinc apud Græcos ipsos duo reperiuntur nomina, quibus illi vtrumque aptissimè explicant; nam primum πτύελον, vnde Ptyelismus, cùm liquida, ac tenuis pituita, vel à Cerebro labitur, vel à Ventriculo in Os conscendit, vt in vomiturientibus, quibus Os antea crebra saliuatione impletur, propter communionem tunicæ interioris Ventriculi, quæ Ori continua est, secundum πτύσμα appellant. Galenus sanè 3. de Cris. ita distinguit, vt illud simpliciter bonum, hoc verò malum, & crudum existat, licet non me lateat πτύελα Hippocratem vocare in vniuersum, quæ repurgantur è Thorace cum tussi. Sub priori denominatione continetur expuitio sanguinis ab aliqua Oris particula, veluti gingiuis, aut vua, aut faucibus, sub posteriori Hæmoptysis nostra præcipuè, quam Hippocrates passim communi quodam nomine ἔμετον αἵματος, id est, vomitum sanguinis nuncupat populari vsu, dum vomitiones quoque appellat largas, subitasq; sanguinis ex Ore reiectiones, quãquam è Pulmonibus prorumpunt; itaq; nominat non à loco, à quo sanguis educitur, sed à modo eductionis, quòd nimirum, cùm plurima eius copia è Pectore excernitur, videatur per vomitionem eici,

ci,

ci, tum quia larga eſt, tum quia in exitu venter ferè ſubuertitur, ac reſupinatur, cui ſenſus quidam rei, quæ euacuatur, impertitur, eò quòd Oeſophago Trachæa arteria adhæreſcat, vel quòd cruor ipſe, dum in palatum excurrit, gulæ contiguæ initium tangat, & irritet, perinde ac quando materia aliqua è Capite ad intimam illam faucium regionem demiſſa, cum nauſea, & quadam velut Stomachi euerſione reiectatur. Ita quando Hippoc. 7. Aphoriſ. 8. ait; A tuberculi intus eruptione, exolutio, vomitus, & animi defectio, non arbitror, pace Galeni & aliorum dictum ſit, de tuberculo ſolùm Ventriculi accipiendum eſſe Hippoc. ſermonem, ſed etiam de eruptione illius, qui Pulmonem obſideat, à quo diſrupto duplex ſolet ſucceſſus manare, vomitus nempè, & animi deliquium. Et ille quidem, ſi pus ad extra prorumpat, & excreetur, hoc verò, ſi ad interiora pus vergat, & in cordis ventres præcipitetur, vnde non ſola exolutio, ſed etiam Syncope, & mors expectanda. Vbi tamen animaduertendum eſt, Hippocratem eo in loco etiam per vomitum intelligere, non ſimpliciter è Ventriculo, ſed omnem per Os, ſubitò factam euacuationem. Verùm ad penſum redeamus. Per hanc itaq; Hæmoptyſim, cum Galeno 5. Meth. eam propriè ſanguinis excluſionem accipi volumus, quæ à Thorace, & Pulmone in primis emanat, quamuis ſanguis ab Oeſophago, Ventriculo, Iecinore, Liene, Vtero, non numquam etiam è palato, gurgulione, aut alia Oris parte in Os ipſum confluat, eodem Galeno auctore 4. de Loc. affect. 5. Hæc nihilominus Hæmoptyſis, de qua nos, rectiùs cum Hippocrate, & Aretæo ἀναγωγὴ, hoc eſt, eruptio diceretur, per quam hic intelligit cruoris per Os deiectionem, quacumque ex parte ſpiritali eò delatus ſanguis fuerit, dum lib. 2. de Cauſ. & Sign. acut. cap. 2. ſic ait; Sin ab inferioribus aſcendat, à Pectore viſceribusq; ibi latentibus, Pulmone, aſpera arteria, locisq; ſpinæ finitimis, huiuſmodi non πτύσις, ſed ἀναγωγὴ vocitatur, aſcenſionis ac viæ, per quam fertur, nomen habens. Apud Hippocr. verò 5. Aphor. 13. ἀναγωγὴ ſimpliciter de ſanguinis ex Pulmone ſurſum per Os reiectione dicitur, quæ ſæpè αἵματος ἀναγωγὴ vocatur, vt & Eraſiſtrati Liber, περὶ αἵματος ἀναγωγῆς ſæpiùs à Gal. citatus com. 3. in lib. de Art. teſtatur. Verùm his omiſſis, quæ ad nominis tantùm notionem ſpectare videntur, nobis ſæpè tamen vel inuitis neceſſaria, quòd qui no-

minum vires ignorant, & se ipsos non semel, & alios quoque fallant, teste Philosopho Elench. 1. diligenter indagandum nunc est, quod nam mali genus sit Hæmoptysis, & quomodo eius fiat generatio, antequàm ad Causas, Differentias, Signa omnia Diagnostica, Prognosticaque, Indicationes, & Methodum, seu curandi rationem mea conuertatur oratio. Nemo igitur non videt Affectum hunc esse symptoma ad ἀμετρίαν in excreto pertinens, aut immoderatæ euacuationis. Excernitur enim largè nimis, ex quo tantùm cita sæpè mors, quod non debet, & qua parte non debet; nam sanguinis reiectio ferè semper est toto genere præter naturam, cùm ab ea primario consilio ille nobis tantoperè familiaris, & necessarius nullo vmquam tempore expellatur, saltem per Os; vnde Hippocr. 4. Aphor. 25. dixit, Sanguinem suprà, idest, vt interpretatur Galenus, per Os ferri, qualiscunque fuerit, malum. Nam si de Naribus itẽ locus ille intelligeretur, ei profectò cõtrarius esset Aphorismus 33. sect. 5. nempe, Deficientibus menstruis, si sanguis è Naribus prodeat, bonum, vt est clara eiusdem Galeni sententia, qui propterea etiam de Diff. sympt. cap. 6. Hæmoptysim toto genere præter naturam esse testatur. Nec obstat quod Hippocrat. lib. 7. Aphor. 35. inquit, Sanguis ab Ore fluens, si cum febre, malum; si sine febre, salutare; Quandoquidem explicat Galenus illud τὸ σωτήριον salutare, significare curabile, ad differentiam alterius curationem abnuentis, aut minus malum, adeò vult vitium hoc natura sua periculi plenum esse; Celsus non inutile reddidit, quamquam non satis propriè, notante Interprete Ronsseo. Itaque additum à me est, saltem per Os, vt intelligatis Sãguinis sputum toto genere esse præter naturam, non modò quia morbosas insequitur affectiones, & quoniam, eo apparente, necesse est aliquem intercedere affectum illius particulæ, à qua sanguis erumpit, qui affectus propriè morbus est, vnde prima curandi ratio nobis indicatur, sed etiam, & multò magis, ratione loci, è quo sanguis ipse rarissimè cum salubritate effunditur, identidem infausto cum euentu, metum omnibus incutiens, & certum plerumq; vitæ discrimen afferens, ad differentiam sanguinis egredientis in primis ex Vtero, è quo singulis mensibus naturæ ope emanans, nec vllius est morbi comes, nec vmquam dicitur præter naturam, nisi quando vitium contrahit quantitate,

qua-

qualitate, tempore; ſicut etiam ad differentiam ſanguinis exeuntis ab Hæmorrhoidibus,& Naribus. Eſt enim eiuſmodi exitus non infrequenter ſecundùm naturam potiùs, quàm ſecùs, vt colligitur ex Gal. 3. de Sympt. Cauſ. 2. & de Sympt. diff. 6. Vnde Hippocr. in Epid. notat ſanguifluas Hæmorrhoides à multis nos malis præſeruare,quod ſimiliter de hæmorrhagia ex ipſiſmet Naribus affirmant Galenus, & Celſus locis infrà adducendis, quas ideò natura in nobis admodum propatulas eſſe voluit, non tãtùm propter olfactum, & reſpirationem, quantùm vt inde meliùs Capitis, & vniuerſi corporis ſanguis vitioſus euacuetur. Opera autem naturæ non ſunt,vt noſtis ex eodem Gal. de Sympt. diff. vlt. ſymptomata; vnde ſi intempeſtiuè, ac vi morbi interdum cruor è locis illis procedat, non videtur ſimpliciter dicẽdus toto genere præter naturam,ſicut cùm ex Ore, comparatiuè ſaltem, quoniam ex alijs illis locis erumpens ſanguis maiori è parte cum fructu excernitur, ſecùs ac euenit in ſanguinis ab Ore profuſione ferè ſemper nobis exitiali, niſi quis denique contendat ità dici debere, eo, quo dixi, modo, cùm ex Vtero morboſè prodit; Tunc enim putauerim præter naturam verè, & cum ratione dici, propter vitium quantitatis, qualitatis, ac temporis, ſed non perinde talem, ſicut cùm ex Ore manat, & præſens ſit Hæmoptyſis, in qua qui egreditur ſanguis quantuluſcunque, & qualiſcunque, omni tempore malus & calamitoſus eſſe conſueuit, ſemperque ferè ſymptomaticus. Rara etenim Artis eſſe non ſolent. Quamobrem neſcio an rectè Fuchſius putet ſanguinis ex Ore eiectionem ideò toto genere appellari præter naturam,quia in ea euacuatur ſanguis Naturæ noſtræ quàm maximè familiaris; cui quidem, etſi fauere quoquo pacto ei videtur Aretæus illis in verbis; Haud mite vitium; ſanguinis enim exitus eſt: Sanguis autem omnium eſt alimentum, omnium calor, omnium color, terroremq; incutit ſanguinem ab Ore intueri; nihilominus ego aſſentiri minime poſſum, qui hac ſola de cauſa ita vocatam Hæmoptyſim non puto. Inde namque foret dicendum,& eam ſanguinis euacuationem, quæ ſingulis menſibus ex vtero fit, eſſe toto genere prȩter naturam,id quod Galeni doctrinæ manifeſtè repugnat,apud quem 3. de Cauſ.ſympt.2. quælibet ſanguinis eruptio toto genere præter naturalis vocatur, ea excepta, quæ in mulieribus ab Vtero

nascitur, nisi quantitate peccet; Siquidem in hac probus sanguis excerni solet, si mulier non ægra sit, aut cacochyma. Neque enim eorum mihi placet opinio, qui existimant sanguinem menstruum etiam in sanis, ac temperatis mulieribus alimentarium non esse, nec eiusdem naturæ cum eo, quo fœtus alitur, proptereaq; non solùm quantitate, sed etiam qualitate noxium, imò & venenatum esse; cuius opinionis inter alios est doctissimus alioqui & elegantissimus Fernelius lib. 7. suæ Physiologiæ, contra quem fusiùs, dataq; opera differit Ioubertus Parad. 1. Dec. 2. Finalis etenim causa generationis huius sanguinis abundè omnes conuincit, quæ tam apud Medicos, quàm apud Philosophos vna eademq; existit, nimirùm, vt fœtui concepto, & efformato cruor ille cedat in nutricatum. Puro autem, & dulcissimo sanguine fœtum ali, scripsit Hippoc. lib. de Nat. pueri; qui etiam. 1. de Morbis mulierum talem sanguinem tamquam optimum commendat. Hinc fortasse Auicenna tres statuit sanguinis menstrui portiones, duas videlicet benignas, & vnam malignam. Quæ benigna est, partim conuertitur in alimentum fœtus, partim in lac mutatur; maligna verò detinetur in Vtero ad tempus vsque partus. Vnde Lochiorum suppressio in puerperis perniciosissima est. Post partum enim, assertore Galeno lib. de Atra bile, pars sanguinis deterrima euacuatur, & est illa cruoris portio tertia, quam in Vteri locis vsque in tempus paritionis stabulari dicebat Auicenna. Ideo Gal. lib. 3. iam citato de Sympt. Caus. menstruum sanguinem quantitate dumtaxat peccare asseuerat. Quæ etenim maligna pars esse fertur, tantæ malitiei non est, vt prauam, ac venenatam reliquam sanguinis massam reddat, si hoc accipiatur de corpore muliebri sano & incolumi, & in quo ille ex habitu morboso, aut prauo victu deprauatus non sit. Vnde si & qualitate simul aliqua vitiosum talem sanguinem esse quis contendat, is velim sciat hoc non aliter euenire, ac disputat Mercatus in Consult. cons. 20. cuius opinio vix differt à nostra, vt clariùs patebit infrà in Prognostico illarum mulierum, quæ menstrua è Pulmone interdum effundunt, quidquid contrà similiter censeat Schenkius suo de Melitæis catellis ex degustatis menstruis in rabiem versis exemplo, de quo alibi. Mala enim, & incommoda sanguinis huius à Plinio, & alijs recensita, eiusdem arguunt bonitatem, ac puritatem, quando optima facili

quoque

quoque ſunt corruptioni obnoxia, & in praua abeunt, quia corruptio optimi peſſima eſſe ſolet, iuxta quem ſenſum tradit Gal. 6. de Loc.affect. 5. grauiora eſſe ſeminis quàm ſanguinis retenti ſymptomata, quòd purius ſemen ſit, & magis ſpirituoſum. Sic apud Hippocr. in lib. de Affectionibus, alimenta quantò ſunt meliora, & accommodatiora, ſi corrumpantur, eorum corruptela deterior eſt, quàm ciborum, qui & minus nutriunt, & deteriores ſunt. Qua de re qui plura cupit, dictum Ioubertum adeat; Ego enim quaſi per tranſennam hæc pauca attuli; Et ideò, vt ſermo redeat vnde digreſſus eſt, nec qui è Naribus, aut Hæmorrhoidibus in multis exit ſanguis, ſicut non valdè antè dicebam, præter naturam eſſe videtur, cum eiuſmodi euacuatio non raro ſalubriter fiat, & naturæ ſæpè ſit opus, vt audiuiſtis, non ſymptoma. Vnde Hippocr. lib. de Alim. ſcripſit, venarum ſedis fluxum præter naturam, & ſecundum naturam eſſe, & Galenus ipſe 5. Aphoriſ. 33. tamquam rem maximè ſalutarem laudat Hæmorrhagiam è Naribus, & ante eum ſcriptum reliquit Celſus lib. 2. cap. 5. ſanguinem è Naribus, etiam à primis annis ad conſiſtentis ætatis finem vſque, ex naturæ præſcripto ſtatis quibuſdam temporibus feliciter erumpere; qui idcircò monet, & rectè, ne talis effluxus ante quadrageſimum quintum annum ſupprimatur. Cui quidem ſymptomati ab ineunte ferè ætate vſque ad quadrageſimum quintum annum obnoxius vixit Benedictus Cardinalis Iuſtinianus, vt adhuc viuens mihi retulit, & Ioannes quoque Zecchius teſtatur Conſ. 4. D. Hynicus Cardenas pro Philippo III. olim apud Sereniſſimam Rempublicam Venetam Orator quotidie ferè fluxum ſanguinis è Naribus ab adoleſcentia ad ætatem vſque paracmaſticam paſſus eſt. Addatur quod Auicenna cap. proprio narrat, Hæmoptyſim haud ſemper eſſe metuendam, eò quòd nonnumquam critica ſit, & à magnis liberet morbis, qualis eſt ea, quæ ſine febre accidit, & cum ægri εὐφορία. Puto quid tale ſignificaſſe Ariſtotelem, dum lib. 2. de Part. animal. ſcripſit Hæmorrhoides interdum fluere ex Ore, labore nullo. Nam apud Cœlium Aurelianum dicit Eraſiſtratus in regione faucium, depreſſa lingua, plerumque tubercula Græcis condylomata vocata viſui occurrere, quæ ſunt ſimilia Hæmorrhoidibus, vnde ſanguis effertur. De quibus pariter intelligi voluiſſe Hippocratem 2. Prorrh. ſub nomine Bdellæ

quidam contendunt, qua de re infrà. Apud Plinium lib. 11. cap. 38. legitur profluium sanguinis multis fieri per Ora stato tempore, vt Macrino Visco viro Prætorio, & omnibus annis Volusio Saturnino Vrbis Præfecto, qui nonagesimum etiam excessit annum. In quo dubitari sanè potest, vtrùm sãguis ille per Os emissus, à Spiritalibus, aut Naturalibus partibus suppeditaretur, vel etiam à Capite, cum nulla ibi de reiectionis modo, & sanguinis qualitate facta sit mentio; Nam Pulmo, cum soleat natura sanguine turgescere, potest hæmorrhagias etiã immodicas per interualla præsertim, & in plethoricis corporibus, tolerabiliter, imò & salubriter per Anastomosim propriarum venarũ pati; quamuis id frequẽtiùs contingat in sanguinis ex Ore profluuio, cuius occasio pendet ab apertione venarum partium Naturalium, maximè verò, cùm nulla adest febris, nullaq; latentis phlogosis, aut inflammationis suspicio; Vnde propterea (si non è Capitis venis, vt multis per Narium hæmorrhagiã cõtingit) censeo in Volusio statam illam, & anniuersariam sanguinis per tot annos effusionem ortum traxisse; ita nimirùm se exonerante natura, quæ temporarium illud incrementum molestè ferens, ad Os cruorem redundantem transmittebat, vt in alijs ad Nares, ad Sedem. Quare etiam an Hæmoptysis Auicennæ, quemadmodum & Rhasis, si de hac sermo ei sit, dum sanguinis eruptionem, certis quibusdam vicissitudinibus fieri solitam, nullo modo supprimendam esse vult, quòd valetudini prosit, accipi debeat pro ea, quæ è Pulmonum oritur vasis, anceps ego sum, nec ita liberè ausim affirmare, præsertim quia subnectit; Et multoties quidem est Sputum sãguinis causa sanitatis apostematis in Hepate, aut Splene, nisi & hoc adhibeatur etiam (si de Hæmoptysi è Pulmone, ac de viris traditur) inter ea, quæ rarissimè cernuntur, aut de fœminis illis intelligatur, quæ mensium materiam aliquoties à Pulmone non infaustè reiectant; vidi enim ipse aliquando, & viderunt alij ante me, inter quos est, post Celsum, Aretæum, Fernelium, & alios, Petrus Salius Diuersus in comm. lib. 1. de Morbis; mulieres, in quibus ob menses suppressos, aut valdè imminutos, sanguis raptum habebat ad Pulmonem (magnus enim, & euidens satis est Vtero cum Pectore consensus, de quo Hippocr. & Gal. 2. Epidem. sect. 1. & ego alibi) quæ sanè tempore mensium naturali ex vasis Pulmonum per tussim excrea-

crea-

creabant proportionatam mensibus sanguinis copiam, absque vlla penitùs suspicione Tabis, aut alia corporis noxa. Vnde nec adeò mirum quod inter neotericos celeberrimus auctor Heurnius narrat de muliere, quæ singulis mensium spatijs sanguinem Ore reddebat, sicut nec admirandum penitùs est quod de altera refert, quæ eliso dente, periodis, illa cauea, eundem menstruum sanguinem emittebat, idque cum fructu. Nam, affirmante Aretæo, hoc modo in spatio aliquo collectus sanguis benè effunditur. Consimilem prorsus Historiam affert Bald. Ronsseus de Homin. primord. & Hyster. affect. quem videre potestis apud Schenkium. Rara tamen, Domini mei, hæc sunt exempla, contrarijque euentus in dies frequentissimè obseruantur, si sanguis præsertim ab intrinsecis, ac in intimo positis partibus conscendens per Os erumpat, aliter ac videmus in hæmorrhagijs Narium, Sedis, ac Vteri, vnde sanguis largè etiam demissus rarissimè nocet, sæpissimè confert, tamquam tempestiuè, & per modum crisis, simplicemq; naturę ritè operãtis motum, non instar symptomatis, morbosi alicuius affectus vitio, egrediens. Quamobrem dum Gal. 3. catat. 4. sanguinis per Nares effusionem ponit, vt symptoma indigens curatione, dubio procul id ea ratione facit, qua tum ipse alibi, tum cęteri medici omnes intempestiuos menses, & nimiùm sanguifluas podicis venas, vti symptomaticè, ac præter naturam cruorem effundentes, cohibere, & constringere nituntur. Tunc enim excernitur quod vtile est, non quod contristat. Dicendum ergò tandem, quòd exiẽs hoc mutatum, nempè Hæmoptysis, grauissimum, totoq; genere præter naturam symptoma plerunque existit, sed minime primum, quoniã ab alio dependet, dico, ab actione lęsa vasorum, seu venarum & arteriarum, morbum aliquem in ijs immediatè subsequente, quæ læsa actio non est attractrix, non concoctrix, sed tum expultrix, tum retentrix; quandoquidem etsi vasa ipsa genita sunt à naturu ad continendum sanguinem, vt propterè tunc ille facilè exeat, cùm vasorum ipsorum retentio læditur, attamen id magna ex parte illis accidit ab expultrice proritata à multitudine, vel à prauitate sanguinis. Quæ duæ facultates ita etiam videntur natura comparatæ, vt sibi ipsis inuicem famulentur, mutuasque præstent manus, quia dum expultrix operatur, cessat ab opere suo retentrix continendi oblita, & dum hæc officio fungitur, al-

tera ab insito munere vacans otiatur. Verùm hìc diluenda offertur obiectio, quomodo, si actio à partis temperie pendeat, temperies verò ipsa non tam citò lædatur & vitietur, sed cum tempore, sanguinis tamen exitus ità repentè nonnumquam, & ex improuiso exsurgat; Nulla quippè tunc in eo læsa actio videri potest. Sed tollitur respondendo, virtutem vasorum retentricem dependere quidem à temperie, sed concurrente etiam vnitate partis, quæ vbi à sanguinis vel copia, vel qualitate corrumpitur, mox quoque retinẽdi actio labefactatur, quæ quidem hoc in malo eatenus læditur, quatenus vas sanguinem continens, & in quo sedes residet retentricis facultatis, cui datum est per obliquas fibras proprium officium peragere, aliquo morbo diuexatur. Interim verò quid ad Argenterium acriter argumentantem, in vulnerata parte actiones integras seruari, eò quòd nutriatur, & media nutritione vulnus adimpleatur? Responsio sit, sanguinis attractionem, retentionem, & assimilationem fieri, non à parte ipsa, quæ vulnerata est, sed à sana, quæ subest, aut proxima ægrę iacet. De vasorum autem morbis, quos pręsens symptoma sequitur, in crastino agetur Sermone.

---

*De eadem Hæmoptyseos generatione per* ἀναστόμωσιν, διαπήδησιν, διαίρεσιν. *Vbi Galenus sibimet conciliatur, & falsa Asclepiadis opinio reijcitur, allata Historia cuiusdam, cui per omnes corporis meatus sanguis erumpebat. Præterea pauca de* ῥήξει, *quæ Celso* ῥηγμοχασμος, *& de* διαβρώσει, *plura de* διαπήδησει, *in qua Galeni, Aretæi, & Aristotelis loca dilucidantur. Mox de Causis morborum Hæmoptysim procreantium; Qua in re Sudoris cruenti Domini Nostri Iesu Christi Medico-pia ratio tam soluta oratione, quàm carminibus affertur; Quæsitumque discutitur, Cur qui angusto Pectore sunt facilè Hæmoptoici, ac Phthisici fiunt. Tandem Problema soluitur; Vtrum mares, aut fœminæ magis hoc morbo corripiantur. Vbi refellitur opinio credentium fœminas ex sanguinis copia, & venæ cauæ amplitudine maribus esse calidiores.*

## Lectio, ſiue Cap. II.

NON ſat eſt, me, heri veſperi ad extremum Lectionis, indicaſſe Vobis modum generationis Hæmoptyſeos, per læſas videlicet illas Naturæ actiones, quarũ altera triſtium, ac infeſtarũ rerum, trãſuerſis opitulãtibus villis, expulſione celebratur, altera verò ſalutarium, & iucundarum, obliquis fibris adiuuantibus, amplexu & retentione perficitur, niſi nunc ampliùs adijciantur morbi vaſorum ſanguinem effundentium, quorum aſſecla Hæmoptyſis eſt, & quos pro efficiente, ac immediata cauſa habere illa ſolet. Non vnus igitur vaſorum ipſorũ morbus eſt, ſed multiplex, ideoq; ſinguli hi affectus, vnde præſens ſymptoma naſcitur, accuratè ſunt indagandi, & ab inuicem diſtinguendi, vt vnicuique propria adhiberi cũ ratione, & methodo curatio poſſit. Paſſim verò tres genere ſtatuuntur. Primus Græcè ἀναςόμωσις dicitur, & à nobis reſeratio, ſeu adapertio, & eſt quando orificia venarum, vel arteriarum recluduntur, ſanguinem in vaſis contentum effundentia. Secundus διαπήδησις appellatur, hoc eſt, percolatio, quæ fit dum ſanguis per exiguos meatus, qui ſunt in vaſorum tunicis, exſudat, & quàſi tranſcolatur; quam tamen etiam Gal. 5. Meth. ad quandam veluti Anaſtomoſeos ſpeciem refert, vt, cùm exilium venarum oſcula reſerantur, dicendum ſit, tunc ſanguinem per Diapedeſim excerni. Tertius διαίρεσις eſt, nimirùm diuiſio, ſeu ruptura, quæ fit quoties vaſa ipſa diſrumpuntur. Primus affectus, vel etiam modus redigitur ad morbum in mala compoſitione, ſicuti & ſecundus; ambo enim conſiſtunt in meatu, ſeu cauitate, quæ ad conformationem ſpectat; Nimis etenim aperta ſunt ea, quæ magis clauſa ſecundùm naturam eſſe debent. Tertius verò tandem manifeſtè comprehenditur ſub vnitate ſoluta, quæ doctrina expreſsè tradita habetur apud Gal. in lib. de Diff. morb. Sed quomodo tolletur eiuſdem Gal. contradictio, quæ oritur ex eo, quòd idem lib. 4. Meth. cap. 1. Anaſtomoſim, & Diapedeſim ad continui ſolutionem referre videatur, non ad malam conformationem, vt ego dicebam? Scitote Anaſtomoſim, & Diapedeſim, licet reuera morbi non ſint in continuitatis ſolu-

ſolutione, poſſe nihilominus neſcio qua ratione apertionis, ac rarefactionis, in quibus vnitas non videtur continuata, ſed diuiſa, idque euidentiùs in oſculis reſeratis, obſcuriùs verò in meatibus attenuatæ vaſorũ ſubſtantiæ rarioribus factis, ad quandam velut continui inchoantem ſaltem ſolutionem redigi, cuius tandem verè ſolutæ vnitatis cauſæ Anaſtomoſis Diapedeſisq;euadere poſsũt,quatenus oriri & illa poteſt ex ampliori reddita apertione oſculorum, vel raritate ſubſtantiæ venarum arteriarumue; nec nouum eſt in re medica, ſæpè vnum morbum ſubſequi alium, Siquidem malum ſuprà malum fieri dicebat etiam Hippocr. lib. 1. de Morb. Ioubertus tamen de Affectibus Thoracis cap.9.negat contrà Argenterium à Galeno in adducto Methodi loco Anaſtomoſim,ac Diapedeſim ad continui ſolutionem referri, cum ibi Galenus nihil aliud proponat, quàm ecchymoſeos varias occaſiones,de quarum cenſu ſunt Anaſtomoſis, & Diapedeſis. Hinc optimè dixiſſe Galenum vir ille ſubiungit,Diapedeſim ipſam fieri contuſis venularum tunicis,vt ex ijs tranſiliat, & velut reſudet ſanguis, vnde ſugillata fiunt. Ex hoc autem loco longè abeat Aſclepiades ille, quem Galenus dicebat habitum contradicendi habere, dum autumat nec per Diapedeſim, nec per Anaſtomoſim è venis poſſe ſanguinem exilire,hac ſola permotus ratione, quòd ſanguis ſuapte natura craſſior ſit, quàm vt poſſit ex oſculis vaſorum, & multò minùs ex eorundem ſubſtantiæ meatibus anguſtiſſimis emitti. Quandoquidem orificia illa etſi peranguſta ſint, & meatus quoque ſubſtantiæ impensè nimis exiles & anguſti, tamen impetu fluentis ſanguinis, & præſertim tenuioris, acrioris, ac feruentioris,qualis ichorodes Hippocrati eſt, ſicuti ſeroſi valdè, & aquei, reſerantur,& tam per Anaſtomoſim,quàm per Diapedeſim sãguinem ipſum reijcere valent. Hinc refert Gaſparus Vuolphius in Obſer.propr. de quodam, quem Rondeletius ſanauit, qui per omnes corporis meatus, per oculos, aures, nares, penem, ſudorem,&c. ſanguinem emittebat. Reſtitutus autem fuit nullis topicis adhibitis,ſed ſola ſeri purgatione,idque cum vſu Braſſicæ marinæ. Addit autem ibidem talem exitum fuiſſe per Anaſtomoſim. Accidit enim in hoc, quod appoſitè admodùm refert Hieronymus Mercurialis in ſua Praxi lib.2. cap.3. & quidam alij, qui ab eodem Mercuriali in primis, & cæteris deinceps recentioribus Auctori-

bus

bus propè ſingula tacito nomine tranſcribunt, eaque ad verbum excerpta tamquam proprio Marte concinnata vel in lucem mittere non erubeſcunt. Sicut enim videmus, inquit vir celeberrimus, vt exiguo foramine facto in marginibus fluminum, ijs illud ingredientibus in immenſum dilatatur, haud ſecus contingit in vaſculis venarum, vbi ſemel vel modicè aperiuntur. Priuſquàm autem de Cauſis affectuum Sputi ſanguinis ſermo inchoetur, ſciendum vobis eſt, ad huiuſce rei eſſentiam declarandam propiùs accedere eos, qui ſymptomatis naturam, & vaſorum affectiones intimè rimantes, pro Cauſis ipſis in medium tãtummodò afferunt Rexim, Anaſtomoſim, & Diauroſim, id eſt, venarum rupturam, apertionem, corroſionem, idque ex Gal. doctrina tum lib. de Diff. ſympt. cap. vlt. tum. 4. de Loc. affect. 5. itaut ſanguinis effuſio, aut diſrupto, aut reſerato, aut denique eroſo vaſe eueniat, nulla penitus Diapedeſis, ſeu tranſcolationis è vaſorum ſubſtantiæ meatibus rarefactis, commemoratione facta. Quod etiam traditum habetur apud Celſum lib. 4. cap. 4. vbi pro Rexi ῥηγμόχασμον ponit, quaſi hiãtem rupturam dicatis. Quid ergò pro Diapedeſi ipſa, imò & pro Galeno eandem 5. Meth. 5. proponente, & sãguinem pariter per Diapedeſim è vaſis eijci poſſe teſtante? Meherclè Diapedeſis vel in genere cruẽtæ reiectionis connumeranda non eſt, cùm per eam qui exit ſanguis ſpeciem potiùs præſeferat ſubcruenti ſeri, quàm veri ſanguinis, vt idem Gal. ait 3. de Cauſ. ſympt. 2. nam ſimilis eſt ei, qui in Hepatis atonia, Renumq; imbecillitate ſubinde apparet, vel ſi profluuij ſanguinis cauſa & ipſa dici, ac ſtatui debet, tunc ad Anaſtomoſim redigenda omnino eſt, vt heri dicebam, etiam de Gal. ipſius mente loco Meth. citato, vbi Diapedeſim duobus fieri modis aſſeuerat; Primo, attenuato ſanguine, & tunica vaſorum rarefacta, ſecundo, reſeratis exiguorum vaſorum orificijs. Aretæus tamen, qui diligentiſſimè, & exquiſitiſſimè omnium, me iudice, de hoc morbo peregit lib. 2. de Cauſ. & Sign. acut. cap. 2. Effuſionis, inquit, ſanguinis tres ſunt modi, vel rupta vena aliqua, vel exeſa, vel rarefacta. Quo in loco veriſimile fit, ſub primo modo comprehendiſſe & Anaſtomoſim, cum qua Rexis, ſeu ruptio valde conuenit, præſertim in curatione; Imò Hippocr. 1. de Morb. per venulam ruptam in Pulmone, ad quam eiuſdem ſequitur ſuppuratio, intelligit ruptionem, vel quamlibet con-

tinui-

tinuitatis ſolutionem in venis Pulmonum manifeſtè factam, ſiue ſit per inciſionem, ſiue per vaſis apertionem, ſiue per eroſionem. Niſi tandem alicui veſtrum probaretur magis, quòd Aretæus ſub rarefactione, vel Diapedeſi amplecti voluerit apertionem, ſeu Anaſtomoſim, quemadmodum vice verſa illam quandoque pro hac ſumi paulò ante dicebam. Ità enim etiam quidam noſtri temporis Medicus percelebris putat poſſe defendi Ariſtotelem, dum, vt ille notat, 2. de Gener. Anim. 4. ſcriptum reliquit, ſanguinem menſtruum per Diapedeſim excerni, quod fieri poſſe nō videtur, niſi per Anaſtomoſim, cum craſſior, & copioſior ſanguis fundatur, quàm vt per adeò exiles, tenueſque tunicarum rarefactarum meatus euacuari poſſit. Rexis autem, atque Diauroſis ſub Diæreſi tamquam genere continentur, ne quis veſtrum Græcarum vocum indoctus putaret huiuſmodi cauſas à Diæreſi ipſa diſtingui, aut voces eſſe longè diuerſas. Diæreſim etenim multæ poſſunt cauſæ efficere cùm intrinſecæ, tum extrinſecæ, vt infrà dicetur. Attamen ſub ipſa Sputū ſanguinis maximè excitatur occaſione Rexis & Diauroſis, ab internis rebus præter naturam vtraque affectione promota. Verùm, vt hæc omnia pleniùs intelligantur, ad prædictorum Affectuum Cauſas proximiores enarrandas noſmet accingamus. Tres igitur afferuntur Cauſæ Anaſtomoſeos, nimirùm Plethora, ſeu repletio, imbecillitas contentricis facultatis, & Cacochymia, ſeu vitium ſanguinis. Primo loco poſita cauſa eſt, multitudo dicta ad vaſa, quæ dum continere ſanguinem minimè poſſunt, transfundunt, adaperto ore ab impetu eiuſdem ſanguinis. Secunda cauſa eſt, infirmitas retentricis venarum, præ qua fit, vt etiam à mediocri copia grauentur; Vnde ſi ſanguis in corporis ſubſtantiam pro nutricatu non abit, nec abſumitur, tunc eum tamquam oneroſum reijcere conantur, ſicque profluuium concitatur. Tertio loco adducta cauſa oritur à ſanguinis vitio, quod vaſorum expultricem proritat, aut quia ſanguis ipſe bilioſus, vel aliter cacochymus, aut putridus, corruptuſue, aut quid ſimile perpeſſus. Quantùm verò ad Diapedeſim, ſi aliquem noſtro in Caſu locum habet, illius cauſa eſſe ſolet ſanguis tenuis admodùm, & aquoſus redditus, qui facilè per tunicas vaſorum extenuatas, & rariores factas διιδρούμενος ait Galenus, id eſt, ſudoris modo tranſmittitur. Huius ergò duæ aſſignantur cauſæ, nempè tunicæ

vasorum rarefactio, & sanguinis tenuitas; rarefactionis verò duæ item causæ sunt, caliditas, & atrophia; à calore enim aperiente rarescunt, à nutritione cessante, cum tenuiora, tum simul apertioni aptiora vasa euadunt. Sanguinis verò tenuis substantia aut à calore ipso, cuius proprietas inter alias est, attenuare, aut ab ichore in sanguine superabũdante manifestè producitur. A qua causa Sputum cruentum in illismet corporibus enascitur, in quibus quandoque etiam Sudor sanguinolentus, de quo tamen loquens Aristot. lib. 3. de Part. anim. c. 5. fieri eum dicebat, propter vitiatũ corporis habitum, vt puta cùm corpus laxum, fluxumque est, & sanguis cruditate humescit, imbecillitate caloris, qui exiguus venulis inclusus nec concoquere, nec densare valet. Ideò quicunque cacochymo vtuntur victu, corpusque ieiunijs, laboribus, vigilijs, & assiduis animi curis nimiùm macerant, promptè ab hac ipsa causa Hæmoptoici euadunt, quemadmodum & in Sudorem quoque sanguinolentũ incurrere possũt, vt Theophrastus ait in lib. de Sudore, quorum nempè innatus calor prænotatis occasionibus labefactatus aquosum sanguinem, qualem in pauidis aut melancholicis notat Hipp. qualisue in Hepatis obseruatur atonia, generat, & accumulat. Cuiusmodi sanguis in virginibus illis mulieribus præcipuè cernitur, quæ alba febre dicta laborant vnà & Pica, cum Chlorosi, ex vitiata Chylosi simul atque Hæmatosi, & in quibus cohibita diù perstant Menstrua, è quarum venis sectis aquosus penitus cruor erumpit, velut in viris etiam illis, quorum corpora cachectica sunt, tam vitio partium intemperatarum, quæ Naturali œconomiæ famulantur, quàm obiecti improportionati, errorumque externorum culpa. Qualem casum in quodam à Rondeletio hydragogo medicamine sanatum non valdè ante audiuistis. Quò propterea, naturaliter, ac Medicorum more loquens, haudquaquam hærerem referre sanguinolentum Christi Saluatoris nostri Sudorem, quippè quia in eius corpore, vtpote quod materna traxit ex carne, ex ardenti illa animi cura, cui pro Animarum salute assiduè intentus inhærebat, & eiusdem corporis passibilis laboribus, defatigationibus, pernoctationibus, ieiunijs, victuque non ità euchymo, sed quali, & quantulocunque oblato, languidiore reddito calore, debilitatisque coctionum officinis cacochymus maximeque serosus congeri sanguis

po-

potuit. Cui sanè rei testimonium haud contemnendum astruere videtur, quòd in Pectore, fortasse ad Pericardium (vbi in cunctis, finali humectationis Cordis æstuantis causa, moderatus, sed in huiusmodi habitibus plus iusto aquosus humor exuberat, ex quo molesta sæpè in multis Palpitatio oritur) dira Lancea vulneratus, sanguinem & aquam continuò emisit. Verumtamen ex altera parte, Christus Dominus purissimo nitidissimoque è sanguine in Virginali Vtero Deiparæ Mariæ conceptus, Altissimi & Omnipotentis Dei superueniente Virtute, ac Spiritu Sancto, vtrùm in hoc Legibus Naturæ, quæ eius nutui, & imperio penitus subiacet, obnoxius esse voluerit, non ausim certò affirmare, cum præcipuè illum ægrotasse numquam legerim, imò constet Speciosum forma præ filijs hominum fuisse. Quæ incolumitas, & quæ speciositas procul absunt ab illis corporibus, quorum vasa sanguine iam notatæ conditionis abundant, cum huiusmodi sanguis corruptus quodammodo sit, morbosque varios inuehat, & visu turpem decolorationem, quæ longè à pulchritudine, quam Gal. ad Trasyb. in vegeto potissimùm colore consistere affirmat. Talis enim efflorescit in cute color, qualis est qui intùs latitat cruor. Facilè siquidem potuit intrinseca illa potentia, Diuinaque essentia; cuius interdum ante Resurrectionem quoque radios foràs emicare permisit, vt dum in Excelso Monte resplenduit Facies eius vt Sol, & in Horto, vbi Iudæi, antequam illis cōcederetur accessus, præ fulgore Vultus eius in tenebris splendescente, valdè conterriti, & quasi attoniti retrorsum in terram ceciderunt; sanguinem ipsum, & naturalem corporis calorem ab omni impuritate & noxa præcauere immunem, vti cùm in Eremo tam longum seruauit Ieiunium, quod homo, vt homo, vltrà septimam diem non tolerat, vita superstite, quamuis maximopere affligeretur, & assiduis animi corporisque laboribus, vigilijs, inedijs nostram operaretur salutem, simulque tot ageret in dolore, atque in labore, vt quæuis eius actio & passio, communis nostrum omnium foret institutio ad proprias saluandas Animas. An dici potest quòd, licet corpus Christi fuerit optimè temperatum, seu complexionatum, vnde & in eo maximè viguit sensus tactus, vt ait D. Thom. 3. q. 46. 6. cor. conueniens nihilominus fuit, vt subiaceret defectibus, & infirmitatibus nostris, ad satisfactionem, exemplum, fidem, eodem

D. Tho-

D.Thoma auctore 3. quæst. 10. 14. item 3. ad 1. item 4. cap. ad 2?
Super quo propterea cruento Saluatoris Nostri Sudore, non te, quæso, grauet, Lector pie, pauca hæc nostra Medico-pia carmina, licet inculta, & malè nata, legere

*Corpora concedit passim Medicina cruentum*
*Sudorem è loculis fundere posse cutis,*
*Quorum longa fames, mens & tristissima molles*
*Extenuent carnes, duraque membra liquent,*
*Innatusue calor quorum disiectus aquosum*
*Progignat succum, cogere quem nequeat..*
*Quid mirum est, Christi tabent si exanguia membra,*
*Sparsaque sanguineo rore madescit humus?*
*Aegrè nam tolerat Solymæ impendere ruinam*
*Delicias Cordis quam putat esse sui;*
*Insuper & Genti damnandæ faucibus Orci,*
*Quam seruaturus venerat ille Polo.*
*Ardentem sileam orbatæ Genitricis amorem?*
*Instantis taceam dira pericla necis?*
*Quid memorem insomnes noctes, quid corporis acres*
*Mentis & ærumnas, queis maciatus erat?*
*His patuere malis Domini venæque cutisque,*
*Tantus vt ad terram fluxerit inde cruor.*

Quinimò ex ingenti sola animi tristitia cruentum sudorem erupisse è quibusdam morti condemnatis certo experimento Romæ, vt non ità pridem in iuuene Belga flammæ destinato, & alibi in alijs notatum est. Cuius etiam Sudoris admirandas prorsus Historias videre cuique licet apud Marcellum Donatum de Hist. Mir. lib. 1. cap. 2. Sed & Galenus lib. de Vsu resp. de sanguine meminit, qui poris quandoque dilatatis effluit, vt inde sudor cruentus; Ioannes Costæus Disquisit. Physiolog. lib. 4. de sudore loquens cruento ex citato Arist. loco, Meminimus, inquit, eiuscemodi sudores Medico doctissimo Aloysio Venerio Veneto, quo familiariter vsi sumus, frequenter erupisse. Quantùm verò denique ad Sudorem Christi Domini Nostri, iudicium sit penes eos, quos Sacræ Paginæ solent Videntes appellare, aut qui à nobis hodie Theologi dicuntur, quos Catholica Romana Ecclesia Sancti Spiritus radijs illuminata, his &

con-

consimilibus dirimendis præficere solita est, quorum sententiæ, atque doctrinæ meas in omnibus ad Fidem attinentibus opiniones libentissimè subijcio. Diæresis verò tandem ex omnibus illis causis contingere potest, quæ continui solutionem efficere valent, hoc est, rumpere, diuidere, contundere, erodere. Ità enim quælibet primitiua ac extrinseca causa, quæ magno cum impetu agat, affectum hunc generabit, inter quas ponitur nimius cursus, ponderis onerosi è terra in altum eleuatio, percussio, & aliæ huiuscemodi remotiores causæ, quæ suo loco vberiùs explanabuntur. Intrinsecùs autem facere Diæresim solet Plethora, seu sanguis nimis copiosus, aut etiam flatulentus, scilicet per Rexim, rupturamue. Vt enim videmus per mustum, quod admodùm bulliat, ob multos flatus, dolia disrumpi, ità à sanguine flatuoso interdum venæ rumpi possunt. Sanguis verò acer, & mordax Diæresim, seu diuisionem facit per Diaurosim, idest, erodendo; quæ tamen postrema continui solutio simplex nullo modo est, sed necessariò semper habet aliquid permixtum, nempè deperditionem substantiæ partis exesæ, cuiusmodi esse solet in ferina destillatione, aut sanguine salsuginoso. Hippoc. more suo, idest, quambreuissimè. 1. de Morb. ità loquitur: Rumpitur autem à laboribus; vbi per labores omnia illa intelligere voluit, quæ laborem, ac vim Pulmonibus inferunt, seu causæ externæ sint, seu internæ. Quamobrem vt hæ omnes causæ latiùs pateant, meliusque vobis innotescant, distinguamus eas partim in internas, & partim in externas; inter primas referri primo loco debet naturalis temperatura, & habitus corporis; quoniam in morborum omnium generatione magnam præbere solet occasionem passuri corporis habitudo; & illa quidem, vel admodùm sanguinea, vel etiam impensè calida & sicca, hic verò tum plenus, plethoricus, athleticusue, tum eidem è diametro ferè contrarius, nempè biliosus, aut picrocholus. Vbi tamen hæc obseruatur differentia, quod à priori tam crasi, quàm habitu magis per Anastomosim, in posterioribus verò per Diaurosim potiùs sanguis effunditur. Latitudo quoque, vel angustia Pectoris sæpè in causa est, vt quis minùs, aut magis in Hæmoptysim incurrat; &, si quærat à me aliquis, cur, qui Pectore sunt angusto, Sanguinis sputo præ alijs corripi soleant, sciat Gal. 3. Epid. 3. com. 70. non propter temperamentum, sed ob vitiosam

tiosam Thoracis figurã Tabidos fieri putare (sequitur enim Tabes, seu Phthisis sãguinis Sputum.) Quo tamen in loco probabile etiam esse cogitat, talem quoque figuram innatum sequi calorem, & propterea 6. eiusdem operis 3. com. 18. tradit ab ingenitæ caliditatis, quæ ex Corde oritur, imbecillitate, Pectoris angustiam proficisci, vtrisque nimirùm, idest, Corde & Pectore, propter formatricis facultatis infirmitatem, paruis procreatis. Vnde fit, vt ijs, qui angusti sunt Thoracis, pusillum Cor insit, & parua quoque vis à natura indita sit; qui propterea fluxionibus, ob illius partis imbecillitatem, maximoperè patent, & ob earundem partium angustiam, etiam leui humorum copia irruente, vasorum, quæ in Thorace sunt, ruptioni valde fiunt obnoxij. Fernelius tamen 5. Path. cap. 10. sentire magis videtur, quòd qui angusto sunt Pectore, & angustos obtinent Pulmones, in Asthma dumtaxat inclinent, ideoque alia ratione eos in Tabem incidere, quia nimirùm huiusmodi angusti Pulmones languidi quoque adeò sunt & imbecilli, vt tempore, sensimque flaccescant, ac spontè corrumpantur, cum præsertim in omnibus nulla ferè corporis pars æquè facilè in putredinem trahatur, ac Pulmo. Sed quid ni etiam, quoniam humores in angusto loco conclusi, nimis replendo, distẽdunt vasa, atque disrumpunt? aut dum non rectè difflantur, facilè putrent, & sic illa corrodunt? Hinc Auicenna loquens de dispositis, aut præparatis ad Phthisim lib. 13. Fen. 10. tract. 5. cap. 20. summa cum ratione scripsit, quòd si qui sunt adeò stricto, & angusto Pectore, vt à tergo scapulæ instar alarum in auibus promineant, & vnà Caput debile habeant, ità vt facilè repleatur, & ad spiritus instrumenta destillationes subinde transmittat, hi maximè omnium Phthisi tentari solent. Admittuntur enim facillimè irruentes humores, & quia exire minimè valent præ loci angustia, & expellentis virtutis imbecillitate, si acuti sint, hoc est, amari, vel salsi, vt in ferina & maligna Destillatione, intra breue tempus vasa erodendo Hæmoptoidem generant, aut etiam insulsi, nulliusque saporis participes, in proprio scilicet fonte vnde scaturiũt, temporis tamen cursu, & diuturna mora illis in locis calidis, angustioribusque putrescentes, & corrodendi vi acquisita, eandem progignunt affectionem. Præterea malo huic ab Anastomosi feruntur obnoxia magis corpora habentia vasa calidiora & humidiora, vt-

potè quæ faciliùs reserantur, velut à Diapedesi alia, in quibus ipsamet vasa gracilia valde sunt, atque tenuia; at ex Diæresi tam illi facilè incurrunt in Hæmoptoidem, qui mollia, tenuiaque simul habẽt vasa, quàm qui dura, & crassa. Quænam itaque erit istius diuersitatis ratio? Diæresis causa vel extrinseca est, vel intrinseca; si extrinsecùs accedat, quis non videt ab ea faciliùs frangi, ac scindi vasa quæ molli sint, ac tenui substantia? sin verò intima, promptiùs dissoluuntur quæ crassa sunt, atque dura, quoniam videlicet disruptio fit à sanguine vel replente, vt quando nimis copiosus est, vel distendente, cùm præsertim flatulentus existit; Sed vasa quæ mollia sunt, ac tenuia facilè cedunt morbificæ causæ, se se dilatando, ac extendendo, contrà, quæ duræ, & crassæ sunt substãtiæ; nam cum præ duritie extendi, & consequenter cedere minimè possint, promptè admodum disrumpũtur. Hoc in loco duo occurrunt enodanda Quæsita, seu Problemata, quorum primum ad sexum pertinet, secundum verò ad ætates; nimirùm, Vtrùm mares, vel fęminæ magis Hæmoptysi tentẽtur, & quænam ætas obnoxia magis sit huic mali generi; sed ne sim vobis tædio, de primo tantummodò loquar hodie, de altero in proxima Lectione, velut de alijs, quæ supersunt, Causis. Galenus ergò cùm alibi, tum 4. de Loc. affect. 5. tradit viros magis tentari Sputo sanguinis, quàm mulieres, quod hæ singulis mensibus purgantur. Atqui viri copiosiore, eoq; etiam feruentiore, & acriori simul sanguine abundant, à quo sanguine, hac, vel illa conditione prædito, facilè Hæmoptysis, aut per Anastomosim, aut per Diæresim producitur. Addatur quòd mares in victus regimine, & sex rebus non naturalibus delinquere magis solent, quàm fœminæ, & in illis maximè rebus, quę id mali genus efficiunt. Contrà idem Gal. 3. Epid. 3. com. 70. scripsit temperaturas frigidiores, & humidiores promptissimè omnium in Phthisim, quod idem est, incidere. Auicenna temperamentum frigidum cæteris anteponit; sed mulieres tam in frigiditate, quàm humiditate nos, vt plurimum, longè superant. Insuper quàm multæ sunt fœminæ, quibus menses dicti vel supprimuntur, vel magnoperè imminuuntur, cuius defectus causa fit, vt sanguis in supernas partes resiliens, & præcipuè ad Pectus & Pulmonem, inde per Trachæam ad Os cum impetu, & copia feratur. Hoc autem quàm sæpè mulieribus contingere quis ignorat?

Hinc etenim eſt, ſicut vel ipſe Aretæus loco ſuperiùs allato ſcripſit, quòd repentinus ſanguinis exitus plerùmque fœminis, quibus menſtrua non reſpondent, euenit, idque ſingulis menſibus, iiſdemque menſtruæ purgationis circuitibus apparet, nec non iiſdem ſtatis ceſſationis diebus ſupprimitur. Ex Inſula Chio ancilla, vt tradit Eraſiſtratus apud Langium Epiſt. 10. tom. 2. cui diu fluxus menſium ſubſtiterat, ſtatis menſium periodis ſanguinem abundè expuebat; quod &, ſubiungit idem, Nurembergæ virgini de ſtemmate patricio accidit. Sed, vt dicebam, innumeræ ſunt fœminæ tam connubio iunctæ, quàm virgines, & viduæ, in quibus Hæmoptyſis ab eiuſmodi cauſa oboritur, id quod ante omnes cognouit Hippocrates; Mirum autem id videri cuiquam non debet, cum magnus admodùm ſit conſenſus Vteri cum Pectoris partibus, quem quidem paſſim Anatomici omnes referũt in communionem venarum, quæ de mammis deſcendentes per muſculos rectos abdominis committuntur cum aſcendentibus ex Vtero, ſeu in epigaſtricæ aſcendentis ramulos cum mammariæ deſcendentis riuulis coeuntes, in illorumq; vaſorum Anaſtomoſes. Laurentius verò profitetur ſe adhùc patentiores, & breuiores ductus communionis huius cauſas, viasque inueniſſe, quem vos adibitis Lib. 1. quæſt. 10. Dicerem itaque ego pro iſtius Problematis enodatione, mares iuxta rei naturam frequentiùs corripi ab hoc ſymptomate, propter allatas rationes; ſolùm dixerim mulieres multas, nempè de numero illarum in quibus menſes cohibentur, aut diminuuntur, dum ſanguis raptum ad Pectus habet, Hæmoptyſicas ex accidenti effici, de quibus intelligi voluit Hippoc. de Morb. mul. lib. 1. illis in verbis; Quibuſdam mulieribus menſes bimeſtres in Vtero exiſtentes multi ad Pulmonem procedunt, & vbi recepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in Tabe dicta ſunt, & non eſt poſſibile ipſas ſupereſſe. De quo loco infrà etiam in Prognoſtico. Lib. quoque 2. Prorrh. habetur, mulieres, & virgines, in quibus menſtrua deficiunt, in Tabem incidere, nec vmquam ſeruari, & apud Gal. de Venæ ſect. aduerſus Eraſiſtratum Hiſtoria perſtat virginis cuiuſdam, quæ ob menſes retẽtos Tabida obijt. Prætereà crediderim quoque fœminas ab illa Phthiſi ſæpius quàm viros tentari, quæ à Capitis deſtillatione dependet, ob frigidam & humidam Cerebri intemperaturam, cùm in vniuerſum

mulieres frigidiores, & humidiores exiſtant, & conſequenter rheumatibus pituitoſis magis etiam obnoxię ſint. Inter viros enim ſimiliter videmus illos, qui conſimilem ſortiti ſunt craſim, faciliùs alijs in hanc Tabem incidere; Cum temperamento namque frigidiori & humidiori coniunguntur calor imbecillior, corpuſque minùs perſpirabile, vnde humores in Pectoris & Pulmonum partibus detenti, minimeque difflati, putreſcunt, & obuia quæque ſana corrumpunt; præterquamquòd huiuſmodi corpora Pulmonum ipſorum vaſa ſortita ſunt molliſſima, & perquam flaccida, quæ pariter ob id promptè à ſola Tuſſi per iugem diſtillationem genita diſrumpi poſſunt. Neque enim audiendi, vt reor, ſunt illi, qui probare conantur mulieres viris eſſe calidiores, ex ſanguinis copia, & venæ cauæ amplitudine, quoniam hæc in mulieribus maioris caloris effectus non ſunt primò, & per ſe, ſed formæ ſui domicilij architectricis, quæ in finem agens, ſibi & fœtui conſulit. Multa namque in corpore fiunt, & finis cuiuſdam gratia, & quia fiant oportet, ob neceſſitatem materiæ. Quæ tandem pro hodierna Lectione ſufficiant.

---

*Qua ætate potiſſimùm & Hæmoptyſis & Phthiſis timeri poſſint; vbi Hippocr. Aphoriſmus verior oſtenditur ex Commentario Philothei, quam Galeni. Locus Celſi corrigitur, & alter Auicēnæ declaratur. Denique agitur de reliquis Cauſis; quarum occaſione affertur Hiſtoria Medici, qui quoties ſub Lunæ radijs deambulabat, toties in Sputum ſanguinis incurrebat, & oſtenditur, quamobrem nocturna obambulatio ſub hoc Romano Cælo idem mali genus in multis progenuerit, ſicut altera Nobilis iuuenis Romani, qui ex immodico aceti vſu, vt gracileſceret, in Hæmoptoidem, atque inde in celerem mortem incidit. Qua in re obiter demonſtratur, non expedire plenum corporis habitum ad contrarium arte mutare, idque Celſi teſtimonio. Demùm aliæ perpulchræ referuntur Hiſtoriæ, dico Arati Sicyonij Hæmoptoide ex veneno defuncti, & neſcio quorundam, qui veneno hauſto Hæmoptyſici facti fuerunt, atque Ariſtobuli, qui ſanguinis per Os eruptione, iuſta Dei vindicta, obijt.*

## Lectio, siue Cap. III.

QVAESITVM nudius tertius à me, post alterius solutionẽ, Vobis tantũmodò propositũ, vt illud statim ab initio hodierni Sermonis enuclearem, antequàm ad reliquas causas examinandas conuerteretur, ad ætates pertinebat, nimirùm, quęnã ætas subijciatur magis Hæmoptysi, & Phthisi illam proximè, atque successiuè, vt plurimùm, subsequenti. Res etenim est apud Medicinæ scriptores indefinita adhùc, & controuersa, vt mox audietis. Hippocrates itaque clarè dicit 3. Aphoris. 29. Sputa sanguinis fieri iuuenili ætate. Vbi Gal. putat Hippocratem de solis iuuenibus intelligere, omissis adolescentibus; Sed equidem non video, cur Hippocrati ipsi ætas adolescentiæ Sputo sanguinis non videatur obnoxia æquè ac iuuentus, præsertim quia dum 5. Aphor. 9. scriptum reliquit; Tabes fiunt maximè ætatibus à decimo octauo anno, vsque ad trigesimum quintum, vtramque ætatem manifestè complexus est. Adolescentium enim ætas à decimo octauo anno incipit, & ad vigesimum quintum perdurat, quo tempore iuuentus initium suscipit, & ad trigesimum quintum extenditur. Superiùs verò, nempè lib. 3. Aphor. 29. tradit proprio idiomate, & velut Paronomasia ludens αἵματος πτύσιες, φθίσιες, à decimo octauo anno fieri vsque ad trigesimum quintum, clarè docens adolescẽtiam perinde ac iuuentutem Hæmoptysi esse obnoxiam. Dicerem tamen ego, adolescentibus magis ab Anastomosi, sanguinis copia grauante, iuuenibus autem ab Anastomosi quidem etiam non rarò, sed frequentiùs à Rexi, & Diaurosi, infestante potiùs acrimonia, quàm multitudine, id mali genus contingere; quandoquidem in iuuenibus sanguis biliosus admodùm est, & perquàm feruidus, intensioris caloris Iecinoris, Cordis, totiusque venosi generis gratia, vt etiam non paucus, quoniam in corporis incrementum, quod iam desijt, minim abit, itaut vtraque ætas, temperamenti præcipuè ratione, ad Hæmoptysim prona videatur, & Phthisim, sed iuuenilis adhùc magis altera, eo quòd ambæ causæ in ea reperiantur, licet quæ ex acri sanguinis qualitate oritur, potior existimetur, quando Pulmones nu-

triuntur ſanguine communicato ab altero **Cordis ſpecu**, vbi in cunctis & maximè iuuenibus quaſi in fornace ingens viget calor, à quo ſanguis ipſe magis etiam biliosus, magisque mordax genitus, & in Pectus deinceps, atque Pulmones attractus, ibidem facilè vaſa dilacerat. Vnde Galeni expoſitio, ſi de externa tantùm cauſa, & erratis, quæ iuuenes perpetrant, ſimpliciter accipiatur, & abſque intrinſecis à me prolatis occaſionibus à propria natura depromptis, multùm ab Hippocratis mente abeſſe videtur. Quandoquidem non ſolùm Tabes, ſed etiam cæteri quique morbi, propter errores, adoleſcentibus, & iuuenibus accidere poſſunt, iuxtà quem ſenſum in altero Aphoriſmo ab eodem Dictatore ſummo ſcriptum eſt: Senes iuuenibus ægrotant minùs. Vt ſileam, in ætate, quæ adoleſcentiam antecedit, nos nihilò minùs in victus norma delinquere, & de illa tamen nihil tale dixiſſe Hippocratem. Nec eſt, quòd quis Celſum obijciat lib. 3. cap. 22. vbi à duodecimo anno ad trigeſimum quintum Tabem in periculo eſſe dicit; nam mendum ibi eſt, & correctione indiget. Verba autem hæc ſunt: Cum hic morbus ætate firmiſſima maximè oriatur, id eſt, ab anno duodecimo ad annum quintum & trigeſimum. Quis etenim audeat ætatem duodecim annorum firmiſſimam vocare? Ideò vbi duodecimo reponendum duodeuiceſimo. Ità namque Hippocrati in hoc, vt in alijs propè omnibus, conueniens erit Celſus, nec à ſe ipſo diſſentiet, dùm lib. 2. cap. 1. ait: Adoleſcentia morbis acutis, item comitialibus, tabique maximè obiecta eſt, fereque iuuenes ſunt, qui ſanguinem expuunt. Quæ poſtrema Latini Hippocratis verba confirmant etiam quod paulò antè de ætate iuuenili dicebam, in ea videlicet magis, quàm in adoleſcentia Sputum ſanguinis apparere, cuius euentus cauſam inquirens Ronſſeus in ſanguinis acrimoniam & ipſe refundit. Rectiùs itaque Philotheus, qui ad hunc modum per interpretem loquitur: Iuuenibus autem ſanguinis expuitiones, & ob ruptionem; vaſa enim in ipſis diſrumpuntur, & quoniam ſuperioris ætatis retinent temperaturam; adhùc enim habent & ipſi copioſum ſanguinem, qui ob nimiam copiam erumpit, prætereà eroſione flauæ bilis redundantis in illis, vel ob eorum ſtudia. Tabes autem ob ſanguinis expuitionem. Inter ætates igitur adoleſcentia, & iuuentus magis alijs in Hæmoptyſim, ac Phthiſim incidunt, idque culpa potiùs

tiùs

tiùs proprij,insitique temperamenti,vnde Celsus loco nuper citato ait, graciles,per quos iuuenes biliosos potissimùm intelligit, Tabe fatigari, quàm externo accidente, non negando tamen, quin & aliæ ætates suprà, & infrà illas ab ijsdem affectibus diuexari possint. Sed interim quid ad Auicennam, qui proprio loco tradit, temperamento frigidis, & consequenter senibus Phthisim maximè euenire? Respõdeatur quod antea de mulieribus dicebam,nempè Tabem illam,quæ à Capitis destillatione oritur,faciliùs contingere senibus,quàm iuuenibus, in quibus,si interdum oriatur,prauæ victus rationi adscribenda occasio est,eo modo,quo in iam allatis Aphorismorum locis nos Galenus docebat. Quare de hac Tabe dixerim intelligendum esse Auicennam, & non Hippocratem, qui de illa manifestè loquitur, quæ ob vitium sanguinis, & natiuum corporis habitum enascitur, cuiusmodi in adolescentia, & iuuentute accidere solet. Quæ etenim Phthisis, ac Hæmoptysis fit ab extrinsecis causis, dico fracturis, casibus, clamoribus, & huius generis similibus,æquè fit in omnibus ætatibus. Illud hìc prætereundum non est, mulieres illas, quæ aut ex imminutis, aut penitùs cohibitis mensibus, & ad Pulmones regurgitantibus in Phthisim incidunt, talem pati solere calamitatẽ, ætate matura, vltrà scilicet quadragesimum annum,quæ est Petri Salij obseruatio in suis comm. ad 1. de Morb. Vbi tamen asserit eam non aduersari Hippocr. experimento, quoniam ipse in Aphorismo citato loquitur de Tabe,quæ vel sanguinis sputo, vel ex destillatione praua,vel etiam mala concurrente Thoracis formatione, quæ quidem contingere solent, dum sanguis calidior existit, & ætas vel in summo est vigore, vel ad vigorem accedit,at ea,quæ ex diminutione,vel ex suppressione mensium & præcipuè eorum, qui sunt pituitosiores, contingit,non in vigente ætate, & cùm calidior abundat sanguis, sed in declinanti, & quando sanguinis calor remittitur. Inter Causas internas,sed præternaturales, iure merito Tussis collocatur, quoniam hac sola diutiùs perseuerante sæpenumerò multi in Hæmoptoidem incidunt. Destillat siquidem à Capite tenuis, ac rebellis materia pituitosa ad Pectus, quæ varijs etiam præsentaneis auxilijs ad illam auerruncandam adhibitis neutiquam cedens, & absque quo alicuius sit particeps saporis amari, aut salsi, solo vehementi & diuturno eius motu, assi-

duauę partium spiritalium lancinatione, quam excitat irritatione naturæ, iri causa est, vt vasa ipsa dilanientur, cuiusmodi Hæmoptysis videtur fuisse in Matrona illa Romana 5. Meth. de qua alibi cum de Catarrho differerem. Quam causam significauit nobis Hipp. 6. Epid. 3. & amplè dilucidat Gal. in Comm. Vt enim delapsa in Pulmones materia excernatur, vi magna, ac Tussi valida opus est; Vnde vasa sæpè lacerãtur Pectoris & Pulmonis. In numero Causarum externarum Sputi sanguinis pònitur in primis aer, qui nisi temperatus sit in actiuis qualitatibus, sed vel nimis rigidus, vt in aquilonari constitutione, vel nimis æstuans, vt in media æstate, aut etiam locis conclusis, & calidis, cuiusmodi sunt, vbi præparantur balnea, vel austrini spirant venti, promptè admodum hoc symptoma generat. Nam si frigidus valde, & vnà siccus inspiretur aer, eius fit inspiratione, vt vasa Pectoris ità siccentur, & indurentur, vt cum extendi minimè possint, vitrorum instar frangantur, sicque sanguinem fundant; ne dicam, quòd huiusmodi aer inspiratus molesta sua qualitate membris spiritalibus noxam inferens Tussim subinde prouocat continuam, ac permolestam, à qua venas & arterias dilacerari non raro videmus. Vnde Hæmoptysis ex ruptione; Sin autem multùm calidus aer inspiretur, aut quòd austrina vigeat constitutio, vel temporis ęstiui occasione, vel immoderato feruentioris balnei vsu, sanguine veluti fuso, & eliquato, nec non vasorum osculis reseratis, Hæmoptysim per Anastomosim præcipuè excitat. Eiusdem census est nimia, & diuturna ad focum sessio, à qua occasione casum notatu dignum refert Valleriola Obser. Med. lib. 5. Obser. 6. Ideò etiam laudo quod de vere, & æstate scripsit Aretæus, nempè tempus anni humidum calidumque sanguinis emissionem maximè procreare, quale vernum est, secundo loco æstiuum; licet mihi in eo non probetur Aretæi sententia, quòd velit in hyeme id mali genus minimè suboriri, nisi de regione intelligat, in qua hyemalis frigoris sæuities, & asperitas neutiquam sentiantur. Alioqui enim scimus præter experientiam, & obseruationem quotidianam, frigus vehemens ab Hippocrate vocari φλεβῶν ῥηκτικόν venarum ruptorium, auctore Aegineta lib. 3. cap. 31. nec non αἱμορραγικόν. De Luna refertur, si tenui rima subintret, ac dormiẽtem aliquem feriat, sanguinis eruptionẽ in eo accersere posse. Vnde M. de Gradi narrat de sibi noto

Medi-

Medico, qui, si sub radijs Lunæ ambularet, illicò in cruētam ex Ore spuitionem trahebatur, sub lucido verò Sole nihil tale illi eueniebat, etiamsi se nudo Capite Soli subijceret; Quod tamen nescio an hoc illi tam fœliciter euenisset sub Romano Sole. Id ipsum autem, auctore Auicenna, non aliunde, quàm ex aucto à Luna madore proueniebat. Noui & ego nonnullos Hæmoptoicos factos cùm alijs externis erroribus, tum maximè nocturnis deambulationibus hoc sub Romano Cælo, tam lucente, quàm non lucente Luna, adeò promptè Capita ferit, ac lædit, sicuti Pulmones, in quibus membris aër inspiratus omnem vim suam imprimit, corpore præsertim motu, alijsque erratis concalefacto, & copiosiorem ob id aerem tunc magis impurum, & algidum, adaucta ventilandi necessitate, perquirente, & attrahente. Quod autem de aere, & anni temporibus dixi, illud idem asseri omnino potest de potu, & cibo, aut nimiùm gelidis, aut nimiùm calidis. An non scripsit Hippocr. 5. Aphoris. 24. Frigida, qualis nix, & glacies, Pectori inimica; Tusses mouēt, & sanguinem, & destillationes? & 6. Epid. com. 3. tom. 14. Frigidum valdè venas rumpere solet, Tussim excitare, atque constringere? Cum etenim à re valdè frigida, siue pura, ac simplex sit qualitas, siue corpus frigidum, in se cogantur, constringanturque sanguinem continentium vasorum corpora, ob id interdum tunicas horum rumpi contingit, vt quod ob contentum multum in laxis mollibusque fit vasis, id ob non multum in tensis contingat, veluti præclarè nos ibi docet Galenus. Præterea cibus, & potus impensè frigidi, si præsertim diù temerè vsurpentur, cum calidum innatum atterent, atque debilitent, crudum, frigidum, ac flatulentum spiritum generant, qui vnà cum sanguine commixtus, extendendi, & consequenter dirumpendi vasa vim non obscuram habet; quòd verò victus calidior & humidior simul, præcipuè autem calidus potus sanguinis effusionem à Pectore, alijsque partibus promouere possit, nemo est, qui dubitet, quemadmodùm etiam quoquo pacto colligitur ex Hippocrate in eodem Aphorismorum libro Aphor. 16. Neque enim ignoro Aphorismi sēsum accipi de balneis aquæ calidæ, quorum vsus immoderatus tam secundùm continuitatem, quàm secundùm moram in ipsis, nec non iuxtà caliditatis intensionem illa omnia mala præstat, quæ ibidem à diuino Sene enumerantur; at si à calido

lido

lido exteriùs tantùm corpori admoto hæc fiunt, quantò magis à rebus calidioribus intrà corpus ipsum assumptis? Vnde Hæmoptoicis frigida dantur omnia, quæ offeruntur, & statim calidorum vsus interdicitur, quæ non solùm actu talia sint, verùm etiam potentia. Ideò namque vina præsertim vinosa, velut edulia aromatibus condita, nec non acria quæuis, & acuta ab eorum mensis ablegantur; siquidem calefacientia, ac rarefacientia corpus; vti quæ reserant, atque dilatant, fluxum maiorem citant. Cibi insuper, & sorbitiones omnes, saliti, vel quomodocumque acuti saporis, si intempestiuè temereq; ingerantur, Hæmoptoidem denique pariunt, iuxtà Physicum dogma; Ex his constare vnumquemque, ex quibus nutritur. Idcircò Hippocrates, & cum eo vniuersa Medicorum schola affirmat, humores nostri corporis fieri ex cibis, quibus vescimur, & ideò si cibi ipsi acres, & salsi, aut quomodolibet acuti sint, similiter succos ex illis progenitos acres & salsos euadere, à quibus proptereà quàm facillimè vasa ipsa corrodũtur, & sanguinis Sputum promouetur. Id ipsum adducit mihi in mentem casum Nobilis iuuenis Romani, filij Marij Delphini. Erat iuuenis ille pleni habitus, cuius ampliorem in dies molem extimescens, ad eam vitandam, ac præcauendam, cùm tenuissimo se se victui addixerat, tum aceto peracuto quotidie manè, & vesperi largè satis, ac diuturno tempore vtẽs, ex Auicennæ fortasse consilio, dum præcipit, vt quicumque obesus cupit euadere gracilis, acetum ieiunus bibat, vnde, sanguine deprauato & salsuginoso reddito, in Hæmoptysim de repente incidit, magna cum phlogosi, & intẽsa febre copiosum per interualla reiectans sanguinem, à quibus omnibus vnà conspirantibus, & simul sæuientibus, breui tempore extinctus est. Huius Nobilis viri exemplo cautior factus Dominus Illustrissimus, à nimio aceti vsu, cui eandem ob causam deditus erat, se penitus abstinet. Scio equidem Celsum lib. 2. cap. 1. ad finem scribere; Obesi plerumque acutis morbis, & difficultate spirandi strangulantur, subitòq; sæpè moriuntur. Quod in corpore tenuiore vix euenit; Quam sentẽtiam ante eum, vniuersè tamen magis, ità scriptis mandauerat Hippocrates in Aphorismis; Qui natura admodum crassi sunt, citiùs intereunt, quàm graciles. Illorum enim angustæ sunt venæ, ac arteriæ, atque ob id paucum omnino sanguinem habent, spiritumq́ue exilem, adeò vt cum

ætate processerint, citò, læuique de causa calor innatus eos destituat; sed nihilò minùs æstimari ab vnoquoque debet quod Celsus ibidem cap. 2. affert. Peius signum est, vbi aliquis contra consuetudinem emacruit, & colorem, decoremque amisit, quoniam in his quæ superant, est quod morbus demat, in his quæ desunt, non est quod ipsum morbum ferat. Vndique sanè angustiæ. nam de gracilibus præmiserat; eos tabes, deiectiones, destillationes, item viscerum & laterum dolores fatigare; quinimò constat experimento, sæpè macros acutissimis tentari febribus tam essentialibus à biliosorum succorum, quibus scatent, putredine, quàm symptomaticis ex intimæ alicuius partis phlegmone erysipelatode. A difficultate autem respirationis, cuiuscunque illa sit gradus, aut differentiæ, non rarò eos molestari, exemplo esse potest, multis alijs omissis, magnus ille inter Morales Philosophos Auctor Seneca Neronis magister, qui, cum siccissimi esset habitus, Asthmate tamen grauissimè ægrotabat. Ideò qui pleni tantùm carnosique est habitus, nec obesa valde, & immensa, ac velut morbosa extuberat mole, eiusdem ad tenuem & gracilem non curet mutationem, non solùm quia sub illo vires omnes magis validæ cõseruantur, sed quia etiam talem mutationem in deterius factam, per ea scilicet, quæ siccant, frigefaciunt, attenuant, & penitus contristant, natura ægrè admodum ferre consueuit, ne dicam morbos qui noui inde possunt pullulare, vt ex relata patescit Historia. Ad hæc gignitur eiusmodi affectio & in nimio otio, & in immoderato exercitio, nimisue concitato motu: in illo, quia nimium multiplicantur succi, veluti in nimia tum potus, tum cibi repletione, quorum succorum multitudinem ferre vasa nequeuntia, plethora rumpuntur; in violento cursu, quia sanguis præ calore impetu quodam, & orgasmo in venas effunditur, nec non quia ex spiritus retentione, quam cursores omnes incurrunt, tensiora reddita vasa promptissimè frangũtur. Hinc Seruus ille Hæmoptoicus apud Plautũ dicebat Domino suo, se ex cursu rupisse Pulmonis ramicem. Venenum quin etiam extrinsecùs oblatum calamitatem hanc inter alias inuehit, idque si sit de genere salsorum, & impensè acrium, vno verbo, corrodentium, per vomitum propriè sumptum, ex dilaniato Vẽtriculo cum suis vasis, vel, si ex Lepore marino Hæmoptysim magis hanc, de qua sermo, lace-

rato Pulmone. Primam ex Ore cruoris effusionem bis videre mihi contigit Venetijs in muliere primùm, cui coniux alteratum cichoraceis iusculum infusione arsenici venenatum bibendum dedit, quę multo effuso sanguine per Os, aluum, & vesicam, magnis cum torminibus, conuulsiuis motibus, & febre, tandem cum extremorum liuore interijt; Deindè etiam in viro, qui ex animi desperatione, ob factam in Adriatico mare tritici iacturam, idem veneni genus in vini maluatici cyato hausit, qui tamen mox facti pœnitens, illicò magnam olei communis quantitatem assumens, & per vomitum multiplici materia vnà cum veneno ipso reiecta, licet copioso sanguine circumfusa, denique post menses plures, Hecticus enim inde factus videbatur, ope variorum auxiliorum pristinæ saluti restitutus fuit. Nescio autem an à tali quoque causa, cõsimilique veneno Hæmoptoidem passus Aratus Sicyonius vitam cum morte commutarit. Hic enim à Philippo Macedonum Rege patre Persei, cuius potentiam mirè auxerat, veneno cum filio suo necatus est. Cumque sanguinem vomeret Aratus, præsentibus amicis solitus fuit dicere; Hæc sunt præmia amicitiæ Tyrannorum. Inter animi verò pathemata repentina ira, aut subita excandescentia maximoperè valet ad inducendam Hæmoptoidem, per eam scilicet facta sanguinis circa Cor, & Pulmones ebullitione, exemploq; sit Vobis generosum mustum intrà dolia fortiter bulliens. Timor quin etiam magnus, ac diù animum percellens, quo sanè calor & spiritus in intima viscera coguntur, & die nocteque agitantur, ac proindè sanguinem acuunt, accenduntque, magnam vim obtinet in hoc excitando symptomate. A qua dubio procul causa incidit in id mali genus Aristobulus Hyrcani filius, qui primus coronam Iudææ inter Machabæos sumpsit. Hic etenim matrem postquàm fame necasset, optimumque eius fratrem Antigonum insidijs trucidasset, tactus factorum pœnitentia, dum ægrotaret, maiorem animus fecit corporis morbum, crescentibusque doloribus, sanguis per Os erumpebat; cumque ille, qui ei à cubiculo aderat, sanguinem expectoratum extrà ferret, Sic cespitans concidit eo loci, vbi fratris Antigoni obtruncati ab eo sparsæ à sanguine hærebant maculæ; Tumultu autem ac fremitu à satellitibus oborto, qui contumelia id actũ interpretabantur, & re cognita ab Aristobulo, animi mordaci pœnitentia ductus in lacry-

mas

mas se effudit, gemensque tum in alia, tum in hæc ipsa verba erupit: Ità nihil Sanctum latet Deum ex meis sceleribus, qui sine mora fraterni sanguinis effusi pœnam à me repetit. Quæ vix locutus cum iussisset se in locum fraternæ necis gestari, animam cum sanguine fudit, vt videre est apud Iosephum lib. Antiq. Iudaic. 13. Tacebo ne hìc altas nimis vociferationes, & longas spiritus retentiones, quales obseruantur in citharædis, tibicinibus, & cantoribus acuta vehementique voce concertantibus? in quibus non rarò vasa disrumpuntur, quòd violenter clamare conentur, non præmissa Pulmonis lenitione per præcedentes exclamationes, vt Gal. ait 4. de Loc. affect. 8. Quid dicam de nimio risu? Nam & ipse huic creando affectui non minimam præstare solet occasionem, quia vbi risus nimiùm effusus est, vehemẽter Thoracis musculos, atque adeò Septum transuersum, & intercostales musculos exagitat, proindeque Tussim sæpenumerò vehementissimam gignit, qua ratione vasa nimis agitando, nimisque distendendo, abrumpere eadem potest, perinde atque fortis, validusque clamor. A qua causa externa casum notatu dignum describit Valleriola Obser. Medic. lib. 2. Obser. 2. Idem facere valent magnorum ponderum eleuationes, Pectoris compressiones, casus ab alto, plagæ, &, affirmante Aretæo, decubitus super culcitras, aliasue res duras. Exempla talium Hæmoptoicorum extant apud Galenum, qui præsertim lib. 5. Meth. 8. tradit se vidisse alium ex eo, quòd maximè vocem in clamore intendisset, alium quòd ab alto cecidisset, alium in palæstra percussum nõ solùm statim grauissimè tussiuisse, sed etiam simul cum Tussi alios vnam duasue, alios plures heminas sanguinis spuisse. Apud Forestum quoque, Schenkium, & alios consimilia multa exempla leguntur, præterquamquòd artem exercentibus sæpissimè huiusmodi casus obuiam fiunt. Quid mirum ergò si & baiuli, & luctatores, & ipsi, vt dicebam, cantores facilè hunc in affectum incurrant? Superest extrinseca causa non adeò infrequens deiectionis sanguinis ex Ore ab Hirudine intùs hausta cum aqua, de qua breuissimè agendum ab initio subsequentis Sermonis.

*Hippocr. locus de βδέλλα 2. Prorrhet. illuſtratur, & iuxta Galeni ſententiam magis accipitur de ſugente Hirudine, quàm de varicoſa vena, vt alij tam ante, quàm poſt Galenum interpretati ſunt. Venenum è Lepore marino cruoris potiſſimùm eruptione per Os necare, tam ſcilicet dilaniatis partibus Naturalibus, quàm corroſis Pulmonum locis, licet non ita ſentire videantur Galenus, & Scaliger. Vbi Nicander explicatur, Mathioluſque notatur. Variæ proponuntur Hæmoptyſis Differentiæ ratione locorum. Vbi de Vteri conſenſu cum Pectore, & Ventriculo agitur, & quomodo ſanguis è Thorace, ac Diaphragmate ad Os conſcendat, & an idem in cauitate Pectoris, aut in Bronchijs grumeſcat. Deinceps aliæ adducuntur Differentiæ à Cauſis, Modo reiectionis, Quantitate, & Qualitate ſanguinis, & denique à Coniunctis depromi ſolitæ.*

## Lectio, ſiue Cap. IV.

IN ſerie tandem externārum, ac primitiuarum Cauſarū Hæmoptyſeos, ſignificaui tantùm heri veſperi Vobis, reperiri eam ſimiliter, quæ oritur interdùm ab ingeſta, ſiue hauſta cum aqua Hirudine, quæ vel deorſum præcipitatur per gulam in ventrem, vel ſummis faucibus, ſicut meatui palato, & naribus communi affixa adhereſcit, è quibus locis omnibus erumpere tali ex cauſa cruor ſolet, cuius exitus Medicis imponit, ægris verò terrorem non minimum incutit, vt propterea pretium me operæ facturum iudicem, ſi nunc pauca quædam de re huiuſmodi in mediū afferam. Siquidem talis caſus exemplum non modò apud Gal. 4. de Loc. affect. & apud alios, verùm quoque apud antiquiſſimum Hippocratem clarè ſatis habetur, ſi illius verba iuxtà ipſius Galeni mentem accipiantur. Accidit enim nonnumquam, vt quiſpiam pluribus ex ordine diebus ſanguinem excreet, & emungat, idque citrà Capitis vel dolorem, vel grauitatem præſentem, ſeu præteritam, neque aliqua prægreſſa pla-

ga,

ga, ob hauſtum id genus animalculi, & Oris potiſſimùm parti adhereſcens, qua peruium eſt ad nares foramen. Vnde curam faciens Medicus, ne ob ſimilitudinem decipiatur, Galeni imitatione partem illam, & totum ad nares meatum accuratè introſpicere debet, antegreſſa quoque interrogando, per quæ rei veritatem meliùs aſſequatur. Hippocratis verò locus eſt lib. 2. Prorrh. illis in verbis. Si cuipiam fauces implentur ſanguine ſæpè ſingulis diebus, ac noctibus, neque Caput anteà doluit, & qui neque Tuſſim habet, neque vomuit, neque febre correptus eſt, non dolet Pectore, vel dorſo; huius conſiderandæ nares & fauces, ſi quod vlcus habere videantur eo loco, vel βδέλλαν, ideſt, Hirudinem. Qua dictione tamen neſcio qui Dioſcorides vetuſtiſſimus Hippocratis interpres voluit in præadducta ſententia varicoſam venam ex ſimilitudine ſignificari, vt annotat Galenus ipſe in Exegeſi vocum Hippocratis, cum contrà idem Galenus cenſeat diuinum Senem propriè de animali fuiſſe locutum. Vnde etiam citato lib. de Loc. affect. Hiſtorias refert Sputi ſanguinis à Bdella, hoc eſt, Hirudine, Et apud veterinarios, vt taceam Auicennam, Caput eſt de ſanguiſugis in gutture, quod ſæpè animalia vnà cum aqua, quam è ſtagnis, cœnoſiſue lacubus hauriunt, Hirudines illùc ingerant, & in ſanguinis fluorem mox inde incurrant. Attamen Ioubertus, qui in hoc Dioſcoridi illi magis aſſentitur, quàm Galeno, vix aſſequi poteſt, tametſi eum, qui hauſit, latere poſſit, quomodo Hirudo tandiù faucibus hæreat, vt non ante tertium, vel quartum diem ſaturata decidat, niſi dicatur eum ſubinde locum mutare, vomitione reddito, quem prius hauſerat, ſanguine. Plinius profectò lib. 8. cap. 10. & lib. 6. cap. 18. de Elephantis, narrat eos cruciatus maximos ſentire Hirudine hauſta. Et Columella, vbi de Bobus loquitur, Hirudo, inquit, cibis tranſitum intercludit. Affirmat inſuper Dioſcorides hauſtum id animal à ſuctu dignoſci, vt propterea vix diù poſſit faucibus hærere incognitum. Quare non modò Iouberto, ſed etiam Heurnio videtur Hippocratis locus accipiendus magis eſſe de varicoſa vena, quàm de animali, contrà Galeni ſententiam, à quo tamen ſanguinis Sputum à tali cauſa ſuſcitatum non ſemel obſeruatum eſt, velut ab alijs quoque, ac, vt credere par eſt, ab Hippocrate ſimiliter in omnibus diligentiſſimo, qui ob id etiam ſignificare hoc ipſum citato loco voluerit.

luerit. Sed obſecro Galeni verba in Exegeſi notata, & Latinè à Foeſio reddita audire non grauemini, præſertim, quia vitiosè paſſim ſcribuntur. Quod eſt, inquit, βδέλλαν in Prorrhetico maiore, & ſecundo quibuſdam inſcripto, venam varicoſam dicunt ſic nominari à Dioſcoride; Mihi verò propriè hoc nomen de animali dici videtur. Etenim incidi aliquando in id, quod illo in libro dicitur, multiſque de ea re ambigentibus, ego ſolus, ipſa ſcriptione adductus, verum prædixi. Qua de re pro tempore ſatis, nunc reliqua proſequamur. A Cauſis ad Differentias demigrandum, ſed antequàm de varijs Hæmoptyſeos differentijs agere incipiam, ſoluere dubitationem decreui, quæ naſci ex eo poſſe videtur, quòd nudius tertius de cauſis loquens extrinſecis iſtius affectionis, dixi aliquando eam oriri à veneno extrinſeco, de cenſu nimirum abradentium, inter quæ connumeraui etiam venenum Leporis marini (hoc Titum perijſſe ſcribunt, Domitiani fratris fraude dato) quod Hæmoptyſim propriè ſumptam efficere dicitur, quoniam id genus animalis, à Plinio lib. 9. cap. 48. informis offa nuncupatum, & ab Aeliano quaſi Cochlea exenterata lib. 2. cap. 20. Pulmonibus peculiariter infeſtum eſſe creditur, eoſque non aliter, quàm cantharides veſicam, arrodere, ac exulcerare, quemadmodum Gal. de Ther. ad Piſonem literis mandauit, idque à tota, vt aiunt, ſubſtantia, aut ſpecifica virtute, adeò vt idem lib. de Compoſit. medicamentorum ſecundùm Gen. ſcribat Pulmonem ſolùm ex omnibus corporis partibus à Lepore marino excoriari. Quæ Galeni opinio confirmatur Nicandri teſtimonio, qui de piſcis iſtius veneno verba faciens, poſt alia multa, inter quæ habet, quòd ab huiuſmodi veneni hauſtu carnes ſenſim tabeſcunt, ſubnectit ſignum affectuum Pulmonum calidorum inſeparabile, ac Pathognomonicum, quod eſt genarum, ſeu maxillarum rubedo

*vidique malas*
*Ceu flos exoriens, tumidas rubor occupat ambas.*

Corpus, inquit Interpres in annotat. nutriri deſinit, vel quòd corruptos à Lepore humores non poſſit ſibi aſſimilare, vel propterea quòd Pulmones malo quodam Leporini veneni occulto tandem exulcerẽtur, vnde febres & Tabes fiunt, quod quidem vlcerati Pulmonis malum Nicander apertè indicauit, ſcribens genas rubeſcere,

& ve-

& velut roſeo colore pictas videri, quod fit humorum in Pulmonibus putreſcentium calore in faciem ſublato. Scaliger etiam de Subtil. Exercit. 33. veneni Leporis marini meminit, ſed ponit illud inter venena, quæ nec primis qualitatibus, nec ſecundis, ſed tertijs noxam, ac necem inferunt, quales, inquit, ſunt Cantharides veſicæ, & Lepus marinus Pulmoni; ſeparatque à venenis illis, quæ necant alia vi, quam quidam à tota ſubſtantia nominant, alij vocant virtutem ſpecificam, quò redigit Scorpij venenum, quod minimo ictu, atque inſenſibili materiæ quantitate mortem affert. Fernelius pariter lib. 5. de Part. morb. & Sympt. cap. 10. teſtatur Leporem marinum cæca proprietate Pulmones exulcerare. Verumtamen Dioſcorides lib. 6. cap. 30. & Plinius lib. 32. cap. 1. quanta ſit huius veneni pernicies abundè ſatis docent, ſed de ſolius Pulmonis noxa nullam penitus faciunt commemorationem. Quinimò Paulus lib. 5. & Aetius lib. 13. eiuſdem veneni grauia, diraque ſymptomata varijs in membris recēſent, peculiarem verò ſolius Pulmonis affectum ſilentio inuoluunt. Quare ſi rem hanc ex rei natura definire velimus, dicendum forſitan eſt, cum Leporis marini venenum exulcerans valdè eſſe feratur, putrefaciēs, atque inflammans, cumque priùs deſcendat in Ventriculum, indeque per primas venas ad Iecur vſque deferatur, rationi conſonum fieri, naturalia quoque viſcera ab eo, imò in primis dilacerari, & arrodi, vt aluus propterea dolore afficiatur, bilioſæ vomitiones venenum redolentes moueantur, cum ſanguine permixtæ, vrina autem vel ſiſtatur, vel cruenta reddatur, ſed cum ſpeciali quadam proprietate, iuxtà Gal. mentem, inſenſum id animalculum ſit Pulmonibus, & hi maximè omnium corporis membrorum tenelli, molleſque ſint, mirandum non eſt, ſi virus eius, inſita quadam & ſpecifica facultate ad eos delatum promptiſſimè illorum raram, mollemque ſubſtantiam, ſicut & vaſa per eoſdē diſſeminata excoriare & arrodere valet, & conſequenter Hæmoptyſim, & ab ea Phthiſim procreare, veluti cùm magis naturalium partium œconomiam affligit, & vniuerſi corporis culinam vitiat, ſanguine deprauato, cachexiam generat & hydropem, quæ à pedum ac tibiarum inflatione plerumque incipit. Quò reſpexit idem Nicander, dum ità ſcripſit;

*Nauſea adeſt, tum & alta cutis, talique viciſſim.*

Quem locum à Mathiolo in ſuis in Dioſcor. comment. ex Leoniceri verſione malè intellectum exiſtimo; Quàm verò noxius ſit huiuſmodi piſcis partibus etiam Naturalibus, præſertim Stomacho, elicitur quodam modo ex eo, quod Plinius narrat, illum ſolo quoque viſu venenum eſſe grauidis mulieribus, quippè ſi omninò aſpexerint fœminæ, ex eo genere dumtaxat ſtatim nauſea, & redundatione Stomachi vitium fatentur, ac deinde abortum faciunt. De qua re longiùs forſitan, quàm huic loco conuenire videbatur. Poſt Hæmoptyſis igitur Cauſas hactenus pro viribus, & abũdè expoſitas, ſuccedunt iuxtà inchoatum ordinem proponẽdæ, & enarrandæ Differentiæ, inter quas principem locum tenent, quæ deſumuntur à termino dicto à quo, ſeu à particula primùm malè affecta & laborante. Quæ quidem magni admodum æſtimari à nobis debent, quoniam ex Ore profluens ſanguis à multis internis partibus emanare poteſt, pro quarum ſitu vario, naturaque diuerſa, nemo non videt Prognoſim quàm maximè variari, imò & Curationem ipſam; Quare antè omnia noſſe oportet, quot, & qui nam loci ſint, è quibus primò exiens ſanguis tandem per Os euacuatur, quos deinde locos peculiaribus notis internoſcere Vos etiam docebo. Clarum eſt igitur apud omnes Medicos venas & arterias (quicquid ſentiant de arterijs Eraſiſtratæi) vaſa & conceptacula ſanguinis eſſe, per quas tamquam per innumerabiles tubos, non aliter quàm ab hortulano plantæ, corpus totum irroratur. Eſt enim vena, ſi eam ab officio, & vſu potiore definiamus, potiùs inſtrumentum ἀναδόσεως, quàm αἱματώσεως, cum Actuario, & alijs; Vnde cum ſanguis excernitur, nemo dubitat quin aut è vena propriè dicta, aut ex arteria prodeat, ſub eo tamen diſcrimine, quod infrà audietis: At partes è quarum vaſis egrediens ſanguis in Os transfunditur, non vnæ ſunt, ſed variæ iam relatæ, & cùm à cæteris, tum à Gal. 4. de Loc. affect. 5. & ab Aretæo lib. 2. Acut. cap. 2. dinumeratæ. Poſſunt autem à me diuidi in ſuperiores, & inferiores, ſique à ſuperioribus demandatur ſanguis, id ipſum erit à Capite, & locis eidem proximè ſubiectis, videlicet palato, gingiuis, lingua, faucibus, gurgulione, & gutture; ſin verò ab infernis, erunt vel partes ſub Diaphragmate, & præſertim Naturales à nobis vocatæ, vel Thoracicæ, ſeu ſpiritales; &, ſi priores, vel à Iecinore, vel à Liene, vel à Meſenterio,

rio, vel denique à Ventriculo, & Oesophago, per quas partes etiam aliæ nuper dictæ aliquando, velut interdum per intestina, & aluum sanguinem profundunt: si posteriores, aut ex Trachæa, aut ex Pulmone, aut è Pectore, aut demùm, cum Aretæo, è Diaphragmate. Vterus autem quàm sæpè sanguinem reiectet in Os, aliàs Tussi commota per Trachæam, ratione ductuum quos habet communes cum partibus pneumaticis, aliàs vomitione per gulam à membris naturalibus, præsertim à meseræo, & primis intestinis (Vteri enim venæ cum venis mesenterij ἀναστομώσει manifesta committuntur, per quas in intestina menstrua regurgitant, & ex his in Ventriculum) præter Hippocratis, Aretæi, & aliorum veterum Medicorum testimonia, plures etiam historiæ, quæ apud multos, & insignes neotericos Medicos referuntur, satis superque nobis ostendunt. Dubitatio quoque fuit non parui momenti, vel ante Galeni tempora, quomodo sanguis à Thorace, & multò magis à Septo trãsuerso in Os conscendat, indeque egrediatur: cui abundè satisfacit Gal. 5. Meth. 8. nimirùm illud fieri per membranam contingentem Pulmones, per quam resudans, ac transiens sanguis, primùm è Thorace, eiusque varijs partibus, & consequenter etiam Diaphragmate per mediam scilicet eius tunicam superiorem à succingente costas impertitam, in Pulmonum substantiam foraminulentam exugitur, à qua posteà per Tussim quasi manu expressus ad Oris partes transmittitur. Nec audiendi sunt à Vobis qui de sãguine intrà Pectus in trumbos conuerso, seu conglobato nimis anxiè dubitant: quandoquidem non coagulatur, vt inquit doctissimus Iacchinus, nisi in Bronchijs, vnde frustrà quærunt quomodo coagulatus sanguis poros subeat Pulmonum. Tot ergò sunt partes, vnde sanguis ab Ore manans primùm deijci potest, de quibus Aretæus loquens loco suprà citato, sic ait: Cæterùm & sedes vnde sanguis proficiscitur, obseruãdæ sunt: siquidem multa sunt communia indicia, & erroris occasio in promptu est, curatioque diuersa. Accedamus ad alias Differentias. Secundo itaque loco succedunt illæ, quæ à causis hauriuntur. Iam enim à me audistis ex Gal. 5. Meth. sanguinem è vasis, vbi continetur, tripliciter excerni, nimirùm vena, aut arteria, vel aperta, vel rarefacta, vel disrupta, cuius differentiæ notitiam si Medicus habeat exactam, nemo vix credat quantoperè illi conducat ad iudicium, & curatio-

nem adeò sæui, & horrifici morbi, quemadmodum infrà dicetur in Prognostico. Alia differentia est, quæ ducitur ex modo reiectionis sanguinis, per quem quidem Medici (& præsertim Gal.4.de Loc. affect.6.) sedis peculiariter affectæ indicia venantur. Sanguis etenim nonnumquam per Os reijcitur, spuendo, screando, tussiendoque, nonnumquam verò etiam vomendo, pro quorum modorum diuersitate in particulæ sanguinem fundentis agnitionem deuenimus. Præthereà duplex considerari debet differentia, iuxtà quantitatem, & qualitatem sanguinis: secundùm primam, quia in hoc mali genere sanguis interdum parcè excernitur, vt in Diapedesi, & Diaurosi quoque ab initio, interdum tam largè, & abundè erumpit, sicuti in Diæresi, vt intrà breue tempus Hæmoptoici cadant quasi iugulati. Id autem maximè contingit, quando ab aliquo membro principe effracto sanguis manat, aut à concaua Cordis vena, sanguinem Iecore illi suggerente, aut à magna arteria secundùm dorsi spinam discurrente. Nam erumpente sanguine, inquit Aretæus, perinde, ac si iuguletur homo, ac strangulctur, mors instat celerrime. In qualitate pariter discrimen obseruatur minimè contemnendum, quoniam sanguis potest esse spumosus, aut, sine spuma, & spumosus quidem, aut accommodatiùs spumās, per totam sui substantiam, & singulas eius partes, ad similitudinem propriæ substantiæ Pulmonis, vel tantummodò cum aliqua spuma in superficie immorante, quæ etiam facilè, si in pelui materia cruenta virgulto lustretur, in halitum euanescit. Ad hæc sanguis, aut est valdè tenuis, rubicundus, & floridus, aut contrà crassus, & nigricans, vel denique salsuginosus, vel expers cuiuscumque saporis. Tandem nec illa est negligenda differentia, quæ à coniunctis depromitur; quemadmodum enim simplex Hæmoptysis plerumque est salutaris, ità quæ alia adiuncta secum habet mala, & symptomata, infelix. Ideò statim ac apparet, diligenter animaduertere oportet vtrùm connexam habeat destillationem, phlegmonem, febrem, & eam quidem vel putridam, vel cum putrida hecticam, vt sæpissimè accidit.

*In Hæmoptysi ex Pulmone sanguinem excerni posse tam è vena arteriosa, quàm ex arteria venosa, aduersus Conciliatorem. Quanta sit vtilitas illius partis Medicinæ, quæ Græcè σημειωτική dicitur. De Signis indicantibus sanguinem prodeuntem à Capite, & omnibus Oris partibus, velut ab Oesophago, Ventriculo, Hepate, Liene, & Vtero. Vbi cur sanguis & spumosus, & cum Tussi excerni possit, licet à Capite descendat, facilè demonstratur.*

## Lectio, siue Cap. V.

ACTVRVS hodie de Signis vocatis Diagnosticis, non quæ morbum ipsum indicēt, ex se satis superque clarum & manifestum, sed differentias varias, & præsertim locorum affectorum, è quibus primò emanans sanguis, per Os denique extrà fertur; qua in re maximè à Medicis laboratur, & iure merito, cum summa totius iudicij, & ipsiusmet curationis Hæmoptoidis in eo consistat, vt malè affecta particula internoscatur, priusquàm ad illa expendenda me conferam, dubitationem quandam circà vasa Pulmonum ampliora, dico, arteriam venosam, & venam arteriosam, soluere nunc statim aggredi constitui; nec enim paruipendenda est, quādo iam receptissimum esse scimus apud omnes Medicos, haud minimum referre, vtrùm è vena sanguis, vel ex arteria læsa prodeat; de qua quidem dubitatione eò magis loqui debemus, quò de illa sanguinis per Os eiectione à nobis agitur, quæ potissimùm à Pulmone, eiusque vasis oriri solita est. Dubitari igitur potest, dum sanguis è Pulmonum partibus erumpit, vtrùm ex arteria tantùm venosa disrupta, non item è vena arteriosa procedat; Qua de re verendi occasio inde nascitur, quòd, vt ex Anatome constat, & Conciliator affirmat, vena arteriosa tunicam habet densam, crassamque instar arteriarum, & quam ob id Herophilus apud Ruffum lib. 1. de Appellat. part. hum. corp. cap. 33. venam crassissimam, grandissimamque appellauit. Vbi etiam annotat idem Ruffus, in Pulmonibus contrà, atque in alijs rem haberi. Nam venæ in his validæ sunt, pro-

ximeque ad arteriarum naturam accedunt; arteriæ contrà imbecillæ, venarumque naturam ſapiunt, quam prætereà venam arterioſam addit idem Conciliator velut immotam iacere, eo quòd diſſeminata ſit in Pulmonem ſecundùm eius partem poſticam ad dorſum, vbi ferè quietus Pulmo ipſe permanet; Arteria autem venoſa tunicam poſſidet tenuem more venarum, quam diſſeminari dicit in partem Pulmonis anteriorem, vbi vehemens eſt motus. Vnde elicit Conciliator ipſe Diff. 190. in Hæmoptyſi è vaſis Pulmonum, venam arterioſam haudquaquam rumpi, ſed arteriã venoſam ſolummodò. Conceſſerim ego Conciliatori, ratione durioris craſſioriſque ſubſtantiæ propriæ tunicæ, venam arterioſam ægriùs, difficiliùſue diſrumpi, quàm arteria rumpatur venoſa, vnicam tantùm, eamque tenuem tunicam inſtar venarum ſortita, imò & alteram ob cauſam, quia hæc feruidiorem, tenuioremque, vtpotè arterioſum, ſanguinem continet, ſed ſi alijs quoque in membris ab arterijs quantumuis craſſioribus, denſioribusque diſruptis cruor exit, cur idipſum ſimiliter Pulmonum amplæ venæ quantumlibet craſſis, & arterioſis tunicis obductæ euenire haud poterit, ſi potentes accedant cauſæ? Scio equidem non deeſſe inter Anatomicos qui aſſerant, duas venæ arteriali contributas fuiſſe tunicas, ne diſruptionis periculũ ſubiret, quorum opinionem impugnat Curtius, quoniam, ſi hoc ità ſe haberet, oportuiſſet venalem quoque arteriam duas habere tunicas, cùm ſi vllum foret fractionis periculum, non minus eſſet in hac, quàm in illa. Ratio autem vera, ob quam vena arterialis duas obtinuit à natura tunicas, eſt quæ à Galeno affertur, ne cùm Pulmo adſtringitur, ſanguis prematur, & regrediatur; qua etiam de cauſa oſtia ſunt inſtituta, quæ claudantur introrſum. Ne taceam id etiam facilè in ea vena contingere poſſe, ratione tum copiæ, tum qualitatis ſanguinis, quem huiuſmodi vas continet multum, ac feruidum & ipſum valdè Cordis vicinia. De maiori autem, vel minori motu in hoc, aut illo vaſe, propter allatam à Conciliatore rationem, iudicent qui in diſſecandis cadaueribus frequenter verſantur. Illud ſanè didici ex Anatomicis inſignioribus, venam arterioſam duos in truncos tum ad dextrum, tum ad ſiniſtrum Pulmonem diuidi, deindè varijs modis ramificari, quod ſimiliter facit arteria venoſa. Quamuis igitur antrorſum arteria venoſa

magis

magis ſit Pulmonum ſubſtantiæ intertexta, retrorſum verò vena arterioſa, inter quas media decurrit arteria aſpera, attamen omnes in Pulmonem ramosè diſtribuuntur, vſque ad illius tunicam à ſubcoſtali ortam, neruuloſque à ſexta coniugatione ſortitam, vt in Pulmonum motu, vtraque vaſa, eorumque ſurculi æquali, aut certè, vt mihi quidem videtur, non longè diſſimili motione cieantur. Vnde neque ob id à Conciliatore imaginatum mihi veriſimile ſit, à venæ ſcilicet arterioſæ diſruptione ſanguinem effundi minime poſſe; Ne prætermittam denique, quòd fruſtrà Medici omnes conarētur per ſigna inuenire, vtrùm à vena, vel ab arteria cùm Pulmonum, tum aliorum membrorum ſanguis veniat, res profectò ſcitu neceſſaria tam pro iudicio, quàm pro curatione, vt non ità poſt ex Aretæo intelligetis. Soluta hac dubitatione, de Signis agere incipiamus, in quibus tradendis diffuſiſſimi fuerunt Galenus & Aretæus, maximè verò in illis, quæ affectum locum, à quo primùm cruor ſcaturit, demonſtrant, cum ab eius Diagnoſi omnis pendeat tum rectè prognoſticandi, tum ritè curandi ratio; Cumque ſigna vocata Pathognomonica, & quæ in vniuerſum Hæmoptyſim indicant, ſuperuacaneum ſit indagare, quoniam vel ſola ægri relatione, aut viſu manifeſtantur, idcircò ſigna tantùm variarum Differentiarum, quæ ſuperiùs allatæ ſunt, venabimur. Sed hoc in loco ſilere illud minimè poſſum, quòd ſi vllus eſt morbus, in quo memoria tenere Medici debent Hippocratis ſententiam ex 6. Epid. Similitudines vel doctiſſimis in arte viris ſæpenumerò imponunt, nec non quod Galenus cùm alibi, tum Lib. de Plenit. circà finē ait, illam Artis Medicæ partem, quæ Græcis σημειωτική dicitur, & quæ de ſignis peragit, admodùm eſſe coniecturalem, ac indefinitam, hic omninò eſt, de quo impræſentiarum diſſerimus. Super qua re iudices Vos ipſos eligo, Iuuenes in ea candidati, dummodò veſtrum differatur iudicium in tempus vſque illud, quo artem ipſam exercere inceperitis. Nam ſæpè ac ſæpiùs reiecto ſanguine, ſunt è Medicis, qui à partibus ſpiritalibus eum effuſum eſſe contendunt, & proindè malum, ſi non inſanabile, ſaltem curatu eſſe difficillimum, contrà inſurgunt alij, aſſeuerantes talem fluxum manare à Capite, vel alia etiam non ità præſtanti parte ex iam recenſitis, ideoque putant leuis adeò eſſe momenti, vt nec ipſa indigeat curatione. O quàm verè, poſt Pla-

tonem in Sophista, scriptum reliquit Philosophus 7. Top. vnum è principijs humanæ sapientiæ esse, rerum dissimilium similitudines, & similium dissimilitudines posse cognoscere. Multa enim hìc reperiuntur similia, multaque dissimilia, quæ distinguere Vos oportet, vt hanc ipsam affectionem ad vnguem internoscere, & ritè pro virili curare possitis. Tria ergò in vniuersum signa in Diagnosi percurram, quorum prima ostendent locum, vnde sanguis manat, secunda modum solutionis vnitatis, apertionisque vasorum, vltima verò causas. Sed in primis sciendum Vobis est, reiectionem sanguinis ab Ore, non vno semper, & eodem modo fieri, ac pro diuersitate partium, è quibus sanguis reiectatur, diuersum esse, cuius obseruatio non parùm cõfert ad sedis peculiariter affectæ notitiam faciliùs assequendam. Quatuor autem modis exire sanguis solet, nempè Vomitu, Tussi, Screatu, & Spuitione. Vomitus ex partibus Septo inferioribus cruorem manare testatur, ex Thorace verò, Pulmone, atque Trachæa, Tussis, quemadmodum ex faucibus, & gurgulione χρέμψις, idest, Screatio, communiter rascatio dicta, & ab Ore, lingua scilicet, vel gingiuis, aut palato, πτύσις, hoc est, Spuitio. In Tussi tamen animaduertere oportet, quod studiosè, & data opera annotant Galenus & Aretæus, accidere nonnumquam, vt sanguis in laryngem affatim defluẽs Tussim moueat, qua decepti interdum aliqui eum ex spiritalibus locis ascendisse suspicantur, ideoque affectum dictitant esse periculosum, tamquam Pulmone laborante, inde etiam magis suspicione adaucta, quòd aliquando plurimus sanguis reijciatur, idque multo tempore fiat, nec verisimile sit, illum ab exiguis vasis, qualia faucium regionem perreptant, prouenire. Huiusmodi casus, qui identidem in praxi cernitur, multos, inquit, Aretęus, falsos habuit, ex profundis visceribus reiectionem fieri autumantes. Quamobrem ne in tam facilem incidamus errorem, diligenter indagare, & firma conseruare memoria debemus Signa illa, quæ à Capite sanguinem verè decurrere ostendunt. Ità enim si quid commune, ac simile caliginem menti obduxerit, quantocyus dissipabitur, ac discutietur. Vbi itaque sanguis à Capite decrrat, si multus est, plura maioraque aderunt, contrà, si rarus, paucusque expuatur, pauciora minoraque erunt omnia. Solet autem Caput graue esse, dolens, & calidum; sonant aures, facies rubet, venæ di-

diſtentæ apparent,& quædam veluti vertigo aliquandò infeſtat.Sic enim Aretæus; poſt quem Aetius Tetrab.2. Serm.4. cap.59. Si à Capite ſanguis deferatur,ſi quidem plurimus ſit,plurima adeſt Capitis grauitas,aut dolor:ſi paucus,pauca. aurium ſonitus iuxtà proportionem affectionis, rubor faciei: venæ frontis emicant, & vertigines accedunt. Prætereà, qui exit ſanguis nec ſpumans eſt, nec ater, & conglobatus, plerumque copioſus, ac repentè ſine vlla ruptionis ſuſpicione veniens. Confirmatur artificioſa coniectura, ſi familiaris & cõſueta ægro ſit è Naribus Hæmorrhagia,& vnà tunc portio aliqua sãguinis per Nares ipſas diſtillet;Ad hęc quãdo à Capite defluit,titillatio in palato percipitur,creberq;, vt in Catarrho, ſcreatus efficitur, poſt quem exit cruentum Sputum, cuius occaſione palatum ipſum ſordidum redditur, perinde ac ſi vulnus ſubeſſet; & ſine Tuſſi excernitur,niſi ad Trachæam,& vlteriores etiam partes ſpiritales demandetur,tunc enim Tuſſis excitatur, & nihilominùs à Capite ſanguinis profuſio oritur; ideò cætera ſigna minùs communia attendenda ſunt. Poſtremò,ſi à Capite effluit,quemadmodum ante eius effluxum ſymptomata iam dicta illo in membro vigebant, ſic, eodem excreto, mitiora cuncta euadunt, Caputque ipſum leuius perſentitur, quod prius grauitate, calore, aut etiam dolore conflictabatur. Relinquo externas cauſas, quæ Capiti noxam inferentes huiuſmodi ſymptoma progignere valuerint, inter quas Aretæus, & Aetius ponunt plagas, frigora, calores ingentes, vinum largiùs epotum,quippequod ſubitò, ac valdè Caput implet, repenteque multum ſanguinis effracta vena profundit. Sed antequàm à Capite diſcedam, vnum occurrit ventilatione dignum, & eſt, an verum ſit, quod ſuprà ex veteribus affirmaui, ſanguinem à Capite prodeuntem, ac in Thoracis partes delapſum, indeque poſtea excretum, minimè ſpumoſum eſſe. Viſum eſt enim non ſemel cruentum Sputum à Capite cum ſpuma, quod ſimiliter rationi à natura rei depromptæ conſonum eſt. Spumæ etenim generatio fit à materia humida, & vaporoſa, concurrente vel calore, vel motu, vel vtriſque. Dum enim ambæ illæ ſubſtantiæ inuicem miſcentur, & mutuò colliduntur, paruæ multæ ampullæ excitantur, & ſic ſpuma generatur. Vbi autem ſanguis à Capite in Pectus deſtillat, dubio procul tam humida materia reperitur,quæ eſt ſanguinea,quàm

vapo-

vaporosa, nempè aer assiduè inspiratus, & expiratus. Quod verò etiam spumæ efficiens causa adsit, motus scilicet, atque calor, manifestum est omnibus; nam sanguis à Capite in Pectus descendit, & à Pectore rursus in Os per Tussim truditur, & idcircò motus adest. Quantus verò calor in vniuerso Pectore vigeat, nemo est qui ignoret: sed responsio facilis, quia, vt infrà in spumoso sanguine à Pulmone vberiùs dicetur, aliud est asserere sanguinem esse spumantem, seu etiam spumosum, & aliud cum spuma. Primus enim tantummodò est verè talis, nimirùm secundum omnes sui partes internas, & externas spuma refertus, secundus autem potiùs, & rectiùs cum spuma vocatur, quæ etiam in superficie solùm cruori inhæret, nec adeò post dissoluitur, ac euanescit. Antiquiores verò Medici de sanguine verè spumoso loquuntur, cum aliter spumosus ab alijs quoque partibus, vt audietis, emanare possit. Si denique sanguis exeat à partibus Oris, simplici expuitione, aut etiam screatu excernitur, si à palato, id rubore suffusum apparebit, nullis antegressis de Capite querelis, si à gingiuis fluat, cum earundem tumore erit, atque rubore, imò, si digitis comprimantur, sanguis exprimitur, aut etiam elisi dentis occasione; sin à faucibus, & gutture, non modò screatus adest, sed & Tussis, breuis tamen, & facilis, nec non rubedine præditæ erunt partes illæ. Et hæc de partibus superioribus. Quantùm ad inferiores, Naturales videlicet, si sanguis à gula venit, exactè cognoscitur signis ab Aretæo notatis: in primis enim non adeò copiosus est, imò admodùm parcus, cuius rei causa in venularum, quæ ibi sunt, arteriarumque tenuitatem refertur: sanguis verò exiens non magnopere nigricat, subflauus est, non exactè læuorem habet, vt non exactè saliuæ permixtus est, cumque nausea, & vomitu reijcitur. Sed & hoc in signo animaduertite aliquandò contingere quod in Tussi dicebatur, nimirùm ex Capite sanguinem in gulam decurrere, sicque cum nausea euomi, & minimè à gula, primariò, sed à Capite procedere, delusis illis, quibus ex nausea, persuasum erat è gula sanguinem ferri; quinimò & leuis tussicula citatur, sed cùm hæc propria, & peculiaris affectio sit partium Spiritalium, ideò Aretæus, vt omnem de medio tollat ambiguitatem, subiungit, id euenire, quoniam gulæ affectum arteria quoque participat, secundum illam extenta, & adhærescens. Mordicatio, vel

astri-

aſtrictio vlceris inter deuorandum percipitur, idque multò magis, ſi valdè frigida, aut calida, aut acerba deglutiantur. Fit etiam nonnullis dolor Oeſophagi, ad interſcapulum vſque interdum extenſus, &, ſi morbus producitur, ac inualeſcit, cibum ægri reijciunt, ciboſque ſummoperè faſtidiunt, cum febribus haud ità multum continuis, ſed erraticis. Addit Aretæus vnum ſcitu dignum, huius nempè loci Hæmorrhagiæ cauſam rarò eſſe vaſorum laxitatem, quòd eſculentorum, & potulentorum frigiditas, aſtrictioque partes ſatis condenſet, rariùſque ab eroſione fieri, quia fluxiones erodentes non multum temporis in ea parte ſubſiſtunt, ſed aut expuuntur, aut ad inferiora pelluntur, frequentiùs verò gulæ incidere ruptionem, quam aliàs coacta vomitio, aliàs violenta Tuſſis concitat, præter vaſorum plenitatem, quæ omnium maximè vaſa rumpit, dum mollia ſunt, & tenera, proindeque imbecillia, vt Gal. docet 3. de Sympt. cauſ. 3. E Ventriculo autem niger, concretuſque ſanguis euomitur, etiam ſi ab arteria fluxerit, ſi à vena multò nigrior, compactiorque eſt, nauſea multa adeſt, pituitoſus, bilioſuſque vomitus: ſi prius homo comedit, cum cibis mixtus ſanguis eijcitur, crebri ructus, & virus olentes eduntur. Defectus quoque animi, & vertigo à grumis frequentiſſima. A vomitu ſubleuantur, ſed diſſoluti, ac æſtu diuexati, ventris continua mordicatione afficiuntur. Si à Iecore, vel Liene procedat, non facilè id fit, neque continenter, ſed reiectio per longiora interualla exurgit. At hoc intelligi à vobis debet de alio itinere, non de eo quod eſt Meſeræum verſus, atque Ventriculum. Etenim per venam cauam, & arteriam magnam ſenſim ad Pulmones, & Trachæam retruditur, quemadmodum in febribus per illorum viſcerum inflammationes ſanguis per Narem erumpit κατ' ἴξιν, ſeu partem illam, quæ è recta regione patiēti viſceri opponitur, per venas nimirùm iugulares, & arterias carotidas impulſus. Attamen expeditiùs, vt ait Aretæus, in Ventriculum, & inteſtina, quàm in Pulmones hæc viſcera ſanguinem eructant per venæ portæ, & arteriæ meſentericæ propagines. Tandem ſi ab Hepate prodit, potiùs ſubalbidus, aut flauus erit, ſed ſi à Liene, niger, & craſſus, præceſſeritque neceſſe eſt aliqua in prædictis viſceribus affectio, vt vel inflammatio, vel tumor diuturnns. Ab Vtero proueniens ſanguis indicatur ex eius diuerſitate, quæ varia apparet prout varia eſt men-

ſtrua-

ſtrualis illa materia: prætereà tempus eſt, quo aliàs fluere menſes conſueuerunt, iam tamen cohibiti, aut valde imminuti, & demùm Vteri malè affecti adſunt indicia. Quæ omnia Signa illa ſunt, quæ oſtendunt nobis ſanguinem prodeuntem à partibus ſupernis, nec non & infernis illis, quæ ſub Diaphragmate continentur. Superſunt itaque ſolùm quæ eundem à membris Spiritalibus manare atteſtantur.

---

*De Signis indicantibus ſanguinem exeuntem à partibus Spiritalibus, hoc eſt, Trachæa, Pulmonibus, Pectore, Diaphragmate. Vbi an Tuſſis perpetuò concomitetur ſanguinis Sputum ex Pulmonum locis, & cuiuſmodi ſit, diſquiritur, Argenterij ſuper hac re opinione examinata. Item an exeat è vena, vel ex arteria, & an per Diæreſim, aut Diapedeſim, aut Anaſtomoſim. In quibus Aretæi Problema diſcutitur; Spumoſi ſanguinis natura exactè oſtenditur, ac tandem ſoluitur Quæſitum; Cur dolor interdum ſentitur magis in alia parte, quàm in ea, quæ continet cauſam doloris; Vbi Auctoris de Loc. in Hom. verba de dolore in Pulmonia elucidantur.*

## Lectio, ſiue Cap. VI.

DIFFERENTIARVM Sputi ſanguinis ab alijs magis partibus quàm Spiritalibus prodeũtis indicia ſuprà à me ideò relata, & ad penſum deducta fuere, vt, per ea exactè cognita ſcaturigine prima, fomiteque mali, ſeu cognitis locis omnibus præcipuis, vnde manare ſolet ſanguis, diuina illa methodo Philoſophis, & Medicis perquam familiari, Vos etiam cum audientium admiratione, & ægrotantium vtilitate vti poſſitis, per quam ſcilicet varijs, ratiocinando, & colligendo, luſtratis partibus ad hunc affectum pertinentibus, vnius, vel alterius negatione, tandem conſpicuum fiat, in qua parte fomes conſiſtat: ità enim in veræ, ac noſtræ Hæmoptyſis cognitionem facillimè deuenietis, nec vlla Vos decipiet ſimilitudo, ſi quæ ſuperiùs diſcuſſa

ſunt,

ſunt,& hodie à me dicentur,attentè conſiderabitis.Inter Signa igitur differentiarum Sputi ſanguinis, illa potiſſimùm magni fieri debent, quæ indicant ſanguinem prodeuntem à partibus pneumaticis, à quibus qui excernitur ſanguis, ille eſt, qui negotium faceſſit, & ſæpè exitialis euadit: nam qui ab enumeratis locis emanat, non ità extimeſcendus,eo quòd plerumque ſi non per ſe, ſaltem paucis adhibitis auxilijs facilè ſanetur, nec peiora poſt ſe relinquat mala, aut quæ ſint adeò curatu difficilia,vti eſt Hæmoptyſis partium Spiritalium. Ad quam quidem meliùs internoſcendam duo maximè ſunt nobis attendenda, nimirùm modus, quo ſanguis excernitur, nec non qualitas eiuſdem, poſt excretionem, cum Gal. dicat 1.de Loc.affect. inter alia,quæ partem indicant affectam,illa quæ excernuntur præcipuum locum obtinere. Referunt enim ideam loci ipſius, à quo decidunt; Et quoad primum, iam ſcitis omnes, cum ſanguis à partibus Oris eijcitur, id omninò contingere vel ſimplici expuitione,vel ſcreatu: cum à partibus Naturalibus,quia per Ventriculum, & gulam tranſit, vomitione, cùm verò à partibus Pectoris emanat, non niſi Tuſſi. Quicquid enim vias ſpiritus ingreditur, vel occupat, naturam proritat ad ſui expulſionem per mediam Tuſſim, ità vt non ſolùm poſſimus negatiuè affirmare: Hic ſanguis ex Ore prodit ſine Tuſſi;ergò hic ſanguis è Thoracis partibus minimè mittitur; ſed etiam affirmatiuè concludere: Hic ſanguis ex Ore prodit cum Tuſſi, ergò hic ſanguis è locis Pectoris educitur; hac tamen adhibita, ſeu facta diſtinctione, quòd inde prouenire poteſt vel primò, & per ſe, labe ipſa illis in partibus exorta, vel ſecundò, & per conſenſum, cruenta materia aliunde tranſmiſſa, nempè à Capite, à quo ſæpenumero ſanguis ad Pectus affatim ruit, Tuſſimque progignit: qua in re,vtpotè ancipiti,confugiendum tunc eſt ad ſindromem ſymptomatum, quæ circà Caput apparuerunt, & apparent, per quæ tamquam techmeria ſigna deprehenditur à Capite reuera, & non à Pectore,niſi eo,quo dixi,modo,ſanguinis Sputum prodire. Quæ quidem Tuſſis non vno, & eodem modo ſemper ſe habet noſtro in caſu, quia interdum leuis, facilis, ac breuis eſt, interdum verò difficilis, ac diuturna, & aliquando mediæ cuiuſdam naturæ. Nam ſi à Pectore ſanguis manat, vehemens, ac moleſta Tuſſis oboritur,quia ſcilicet è longinquiori ſpàtio motus fit diuturnior:

ſin

ſin ab aſpera arteria, breuis, & facilis Tuſſis eſt, imò potiùs Tuſſicula, cum pars illa admodum proxima Ori exiſtat: ſi denique à Pulmone reiectetur, quoniam medium veluti locum ſortitur inter ambas iam dictas partes, ideò fit Tuſſis nec ità magna, nec ità parua, ſed mediæ cuiuſdam naturæ. Illud ſanè verum eſt, quòd è vaſis proſiliens ſanguis leuiorem Tuſſim mouet, è carnea verò mole ſatis vehementem. Argenterius tamen ex obſeruatione facta in propria vxore, quæ Phthiſica obijt, colligit, & narrat com. 3. in Ar. par. Galeni non omnes qui Tabe pereunt ſemper ſanguinem cum Tuſſi reijcere, ſed ſolùm cũ vlcus in profundioribus Pulmonis partibus eſt, vbi maiora ſunt vaſa, quæ ſanguinem continent. Tunc enim etiam & ſanguinem neceſſariò expui vult, cum alioquin Tabidus quis poſſit euadere citrà cruentam ſanguinis excreationem, vt idem Piſis notaſſe teſtatur in alia muliere alterius Medici vxore, in cuius cadaueris diſſectione inuentum in ſuprema parte Pulmonis, quæ primis coſtis ſubijcitur, vlcus, in quo vix caſtanea includi potuiſſet; quæ mulier propterea ſanguinem numquam expuit, quòd extrà vaſa Pulmonis vlcus conſiſteret. Sed & Galenus ante Argenterium id ipſum docuit 4. de Loc. affect. 9. ſicut etiam Iacotius, Fernelius, & alij; De qua pariter materia ego infrà ab initio Sermonis de Phthiſi. Quantum verò ad eius vxorem, quam ſcribit ſanguinem è Pulmone ſine Tuſſi reieciſſe, ſed potiùs cum ſimplici excreatione, puto ne Argenterius nimia deceptus illius dilectione, Tuſſim fortaſſe leuem ob ſublime vlcus, vaſa adhùc fortè ſola, non item parenchym à Pulmonis occupãs, crediderit, quod præcipuè optabat; quæ enim delectant facilè nobis imponunt; eſſe tantùm raſcationem, quæ non obſcura quoque in ea fœmina erat, ob perennem à Capite in Trachæam deſtillationem, à quo ſcreatu Tuſſis breuis & exigua quodammodo obſcurabatur. Quo in errore & ego in Angela Genua de Cruce Veneta vxore mea eadem de cauſa aliquandiù verſatus fui, cum præſertim pleni & ſanguinei eſſet habitus, & eodem ſimul tempore de Capitis calore, ac dolore inſigni conquereretur, & mediocri cum Tuſſi cruentum vnà & pituitoſum reieciſſet Sputum. In dies tamen detecta ſenſim labes eſt, ex febre, quæ modò lenta erat, modò in morem ſemitertianæ, vt notat in Prognoſt. Hippocr. inualeſcebat, ex purulentis ſputaminibus, macie,

alui

alui liquidis deiectionibus, quibus tandem anni ferè decursu consumpta de repente animam Rauennæ efflauit inter manus collapsa Matris D. Francisci Ingoli Presbyteri Rauennatis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide à Secretis. Percurramus nunc singulas Pectoris partes, incipiendo à Trachæa, è qua, vt dicebam, vbi sanguis excernitur, Tussis quidem promouetur, sed leuis, & quæ citò desinat, imò interdum sola dumtaxat fit screatio, quando scilicet à parte Ori proximiore eijcitur sanguis, qui pariter exiguus est, eo quòd arteriæ substantia neruea magis sit, & cartilaginea, quàm carnea, idemque etiam, vt ab Aegineta scribitur, spumosus, atque pituitosus venit, non, vt voluit Aretæus, valdè flauus. Præterea dolor adest, quia pars exquisitè sentit, & ille quidem circà fauces, vnà cum voce rauca, & obscura. Quòd si Thorax ipse laborat, & ab eo sanguis manat, Tussis rebellis admodum est, cùm alijs de causis, tum quia magna vis requiritur ad materiei, præsertim si, vt quidam volũt, ibidem in grummos conuersa sit, expulsionem, cum omninò debeat per angustos locos trãsilire, nempè extremas Bronchiorum scissuras. Insuper in excretione sanguinis à Pectore sentiunt ægri ad eam partem, in qua soluta vnitas, dolorem, quia totum Pectus non solùm osseum, sed & membranosum est, ac musculosum, ad quod tam intrinsecùs, quàm extrinsecùs nerui multi pertingunt, quorum causa exquisiti admodum sensus particeps euadit. Addatur quòd sanguis è Pectore neque copiosè, neque ἀθρόως, seu confertim exit, quia venæ ipsius paruæ sunt, & exiles, vt nec etiam tenuis est, aut floridus, sed crassus, nigricans, & grummosus, auctore Gal. 4. de Loc. affect. 6. vt potè è longinquo veniens, & diutiùs in itinere moratus. Refert Auicenna vbi sanguis è Thorace prodit, eo tempore copiosiùs inde effundi, quo ægri à somno expergiscuntur, quoniam Pectoris partes noctu inter dormiendum magis calefiunt, & vasa consequenter faciliùs aperiuntur. Si à Diaphragmate exeat, quod tamen rarissimè contingere putatur, tradunt Aurelianus, & Aretæus, inde cognosci quòd dolor circà magni illius musculi situm percipiatur, dolorq; sit veluti circularis, cum Diaphragma instar Zonæ cuiusdam sit, totam illam cingentis regionem, vt in sua Praxi notauit clarissimus Mercurialis. Adeamus modò Signa indicantia sanguinem prodire ex Pulmone. Tussis ergò, vt dicebam,

non

non est tam magna, & difficilis, vt nec adeò parua, & leuis, sed inter vtramque media, licet valdè maior fiat, prodeunte sanguine è substantia, quam è vasis, nullusque dolor Pulmonem afficit, sed tantùm grauitas. Quandoquidem Pulmo secundùm suam ipsius carnem vel omninò nullum, vel non nisi obtusissimum habet sensum. Siquidem duo illi neruuli, qui à sexto pari ad eum descendunt, solùm pertingunt ad exteriorem membranam parenchyma succingentem, nec intimiùs inseruntur; vnde mirum non est, si in hac Hæmoptysi nulla est sensatio tristis. Imò hinc sumi potest opportuna occasio soluendi Problematis ab Aretæo propositi: Cur nimirùm in sanguinis ex Pulmonis reiectione, quæ est omnium sæuissima, homines animum non despondent, cum tamen in extremo discrimine versentur, & ex aduerso omnem aliam sanguinis reiectationem, quamuis modicam, quamuis iam rupta vasa coiuerint, comitetur mœror, diffidentia, vitæ desperatio. Nam causam huiusce rei idem statuit Pulmonis indolentiam. Quilibet enim dolor, ait ille, quamuis exiguus, interitus metum inijcit, & plerumque terribilior est, quàm periculosior: contrà indolentia in plurimis vel magnis morbis à morte securitatem præstat, damnosiorque est, quàm terribilior. Causa autem mœstitiæ, ac desperationis vitæ in sanguinis profusione ex eo nascitur, eodem Aretæo auctore, quoniam nemo est adeò firmo, & constanti animo, qui se iugulationi simile quiddam pati conspiciens, instantem, violentamque mortem non vereatur, ac perrhorescat, cum & grandiora animalia, & robustiora, quales tauri sunt, sanguinis effusione celerrimè perdantur. Quibus notis addamus nunc signum depromi solitum à sanguinis substãtia, & fluxionis copia. Nam qui è Pulmone erumpit sanguis valdè rubicũdus est, ac purpuram referens, idque vbi è vasis amplioribus, vena inquam arteriali, aut arteria venali egreditur, quo tempore etiam copiosè, & affatim excernitur, non sine spuma, secùs ab ipsa Pulmonis carne dilaniata, & exulcerata progreditur. Tunc enim sanguis subalbidus potiùs est, paucus, atque omninò spumans, vt potè qui iam ad membri nutritionem extrà vasa propria traductus est, & substantiæ Pulmonis appositus, in eaq; per alterationem assimilatus, quæ, cum spongiosa sit, sanguinem in similem sibi naturam conuertit; De quo quidem intelligere debemus Hippocratem fuisse locutum,

dum

dum 5. Aphoriſ. 13. ſcripſit: Quicumque ſanguinem ſpumoſum expuunt, ijs è Pulmone fit eductio: quemadmodum & Galenum, qui lib. 4. de Loc. affect. 6. ſpumoſum ſanguinem efficaciſſimum ſignum eſſe vult ad oſtendendum à Pulmone illum prodire. Sed cur idem Hippocr. in Coac. prænot. exarauit, talem quoque ſanguinem ab Hepate venire? Sic enim ait: Quicunque ſpumoſum ſanguinem expuunt, & à dextro Hypochondrio laborant, ab Hepate expuunt, ac ferè moriuntur. Iuxtà quem ſenſum in alio Aphoriſmo eiuſdem operis ità ſcriptum reliquit: Qui ſpumoſum ſanguinem vomunt, nullo dolore in partibus, quæ ſunt ſub Diaphragmate, ijs è Pulmone vomitio eſt. Quod enim ait, modò nullus ſub Septo dolor percipiatur, ſanguinis ſpumoſi reiectionem Hepati grauiter affecto ſuperuenientem excludit. Addo quòd Galenus ipſe 7. Aphoriſ. 30. apertè tradit, non omninò à Pulmone ſpumoſum prouenire ſanguinem, ideoque Pleuritide laborantes nonnumquam ſpumoſum expuere, licet raro; rariùs adhùc Peripneumonia detentos. Inſuper è Trachæa etiam ſpumoſum ſanguinem exire conſtat, ob perſpirati aeris commercium. Quamobrem & Auicenna ſpumam attribuit ei, qui à Thorace progreditur, quemadmodum ego alteri, qui à Capite in Pectus delabitur. Dicatis igitur pro hac ſedanda controuerſia, duo eſſe priùs annotanda, quorum vnum eſt, ſanguinem excerni aut è vaſis Pulmonis iam ſignificatis, aut ex propria illius viſceris carne, atque ſubſtantia; aliud verò ſpumoſum ſanguinem dictum, non eumdem eſſe cum ſanguine cum ſpuma permixto. Vbi etenim manat è vaſis, tunc affatim, & vbertim prodit, ruber, & purpuræ ſimilis, cumque ſit etiam impensè elaboratus, ac tenuis, facilè vi motus ob Tuſſim, nec non caloris ibidem vigentis, atque aeris introeuntis, & exeuntis quadam velut mixtione, & agitatione facta, in ampullas eleuatur, ac ſpumam contrahit. Vndicumque enim fluat ſanguis, nonnihil ſpumæ permixtum habere poteſt, ex viſcida, & aerea ſubſtantia ſecum mixtis. Ideò nulli mirum ſit, ſi ſanguini aliunde etiam quàm à Pulmone prodeunti accedat & ſpuma, quæ tamen maior erit in ſanguine è Pulmonum vaſis effuſo, quàm in eo, qui ex Trachæa, Thorace, membrana ſuccingente, Hepate, & Capite prodit. At ſi reiectio ſit à parenchymate, ſeu propria carne, parcè admodum, vt dicebatur, excernitur ſanguis, & colore non intenſa

E rube-

rubedine ſuffuſus,imò potiùs ſubalbidus,ſed omninò,& re vera ſpu moſus. Ex toto enim ſpumeſcere ſanguinem, vel etiam totum eſſe ſpumam, ſolius ſubſtantiæ Pulmonis proprium, & peculiare eſſe fertur. Concludendo ergò dico, ſanguinem verè, & vndicunque ſpumantem à Pulmonis carne,cuius ſimilitudinem refert, excerni, cum Pulmo ſit tamquam coagulata ſpuma, plurimùm verò expumeſcere è vaſis,nonnihil ſpumæ permiſceri,ex alijs quibuſque partibus. Et hæc de ſpumoſo ſanguine. Pro indubitato, omniumque efficaciſſimo à Pulmone venientis ſanguinis indicio habeatur,ſi vel parenchymatis, vel Bronchij portio aliqua, aut arteriæ, aut venæ tunica tuſſiendo reijciatur. Narrat Aegineta ſe aliquando vidiſſe, qui cum maxima Tuſſi, & ſanguinis copia calculos expuerit quatuor, vel quinque aſperos velut tribulos. Quibus tandem notis omnibus adijciendum quod habetur apud Aretæum, cruenti Sputi rotunditas, ſic vt vna reiectio ab altera ſit diſcreta, ex interuallis ſublatum, dicit Aegineta. De Sputi autem rotunditate alibi. Ad hæc minimè negligi illa debent ſigna,quæ indicant,vtrùm à vena, aut arteria ſanguis proueniat. Intereſt enim, inquit Aretæus, ab arteria,an à vena feratur: quoniam ater eſt ſanguis,craſſus,& facilè ſpiſſeſcens,qui à vena mittitur: præterea minus periculi affert, celeriùſque compeſcitur. Ab arteria flauus, tenuiſque prolabitur, haud ità cogitur, citiùs hominem perimit, & maiori negotio ſupprimitur. Nam arteriæ agitatio ſanguinis fluorem mouet, vulnuſque frequenti concuſſione dehiſcit. Poſtremò ad ſigna cauſarum, propter quas ſanguis expuitur, deſcendere oportet, quæ breuiter indicabo. Memoria autem habere debetis,triplicem à me ſuperiùs allatam eſſe cauſam Hæmoptyſis, nempè Diæreſim,ſub qua Rexis, & Diauroſis comprehenduntur, Anaſtomoſim, & Diapedeſim. Vbi ergò ſanguis per Rexim, hoc eſt, per rupturam profunditur à cauſa aliqua extrinſeca ex illis quæ ſuperiùs deſcriptæ fuerunt, ſeu diuidant, ſeu diſrumpant, id ipſum ex ægri, aut aſtantium relatione vnicuique patebit; ſed ſi ab internis cauſis proueniat,quas omnes Galenus ad vnam vaſorum tenſionem refert,ſiue fiat à sãguine tantùm,ſed aut valdè copioſo, aut multùm flatulẽto,primum ſignũ erit, commune tamen etiam extrinſecis cauſis, quòd ſanguis affatim, & magna in copia erumpit, abſque quo vlla exterior prægreſſa ſit

ſa ſit cauſa. Quòd ſi contingat à ſanguine ſuperabundante, notum fiet ex habitu Plethorico, venarum amplitudine, corporis grauitate, anteactoque victu pleno, ſanguiniſque ferace: ſin propter flatus extendentes, & frangentes vaſa, cognoſcitur quia vniuerſum corpus flatulentum eſt, & ſanguis exit cum aliquo ſtrepitu; ſed quia ad Diæreſim ſpectat quoque Diauroſis, ſeu Eroſio, quæ eſt cauſarum omnium peſſima, quomodo dignoſcetur vaſorum diuiſio ab Eroſione? Conſideretur ante omnia corporis habitus, qui plerumque Picrocholus eſt, nec non diſpoſitio Capitis, quod acres, & ſalſas ſubinde ſolet tranſmittere ad ſubiecta membra Pectoris deſtillationes, quæ moleſtam, &, vt plurimum, inanem Tuſſim concitant, nec contemnatur antegreſſa victus ratio praua, qualis ex cibis acribus, dico, ſalſamentis, Allijs, Cæpis, Bulbis, Aromatibus, & eiuſdem cenſus alijs. Intimius verò ſignum, & quod præ alijs rem declarat, eſt, quòd quando per Diauroſim tunica vaſorum diuiditur, ab initio parua ſanguiuis copia reijcitur, ſed progrediente tempore copioſus admodùm excernitur, maiore ſcilicet facta Eroſione, & ampliore reddito vaſis foramine, id quod in Pulmonibus maximè locum habet, diuerſa ratione ab ea, ob quam à tali cauſa neutiquam è Ventriculo ſanguinem effundi poſſe à nonnullis aſſeritur. Siquidem in Ventriculo Eroſionem fieri prohibet non ſolùm ciborum, & potuum varia collectio, à qua ſanguinis, & aliorum ſuccorum acrimonia obtunditur, ſed etiam natura propriæ ſubſtantiæ Ventriculi, quæ eſt admodùm ſolida, & dura, vt non facilè exedatur ab humoribus acribus. Vnde Hippoc.4.de Morb. probare volens ſubſtantiam Stomachi animalium duram eſſe, conſuetudinem Africanorum in medium affert, qua videlicet ſolebant Ventriculis vti pro crumenis, & integumenis variarum rerum. Quoniam verò in Pulmone tria continentur, videlicet ipſa carnis ſubſtantia laxiſſima, ligamenta, quæ Bronchia connectunt, & ipſa Bronchia duriſſima, atque ſolidiſſima, nemo non videt meum ſermonem accipi debere potiſſimùm de carne, quæ promptiſſimè omnium & putreſcit, & arroditur. Andernacus hic fruſtrà conatur componere litem, quæ nulla eſt, dico inter Galenum, & Paulum, temerè accerſito Aetij iudicio, cum idem prius ſcripſiſſet Galenus loco etiam ab eo citato. Cui etenim non patet per Eroſionem primùm, & ex in-

teruallis haud multum sanguinis expui? sed cùm amplior exulceratio facta est, plurimum, & affatim? Cæterùm per Diaurosim genitam vlcerationem manifestè confirmat, quòd nihil præcesserit rumpens, aut contundens, sed acris defluxio, vel prauorum ciborum vsus, inedia, vel mœror, vt Paulus, & Alexander affirmant. Quod si deinceps aliqua pars Bronchij, vel portio tunicæ venæ, aut arteriæ, vel propria Pulmonis substantia efferatur, iam Lippis etiam clarissima apparet Erosio. Quo tamen in loco minimè tacebo, in eiusmodi Hæmoptysi percipi ab ægrotante posse aliquem dolorem, saltem in vicinis partibus, & præsertim in membranis, seu sit quæ indusij instar Pulmonis substantiam circumuestit, seu Mediastinum ipsum, quod sterno, vertebris, & Septo alligatur, vidique ego non paucos à tali causa Hæmoptoicos in varijs Pectoris locis dolores veluti punctorios, aut etiam grauatiuos molestè sentientes, maximè vbi erosæ particulæ superuenerit inflammatio ex affluxu sanguinis ad locum affectum, aut quòd sanguis ab vlcere in Pulmonum substantiam dimanans inflammetur, ac putrescat. De quo quidem sanguinis Sputo intelligi voluit Hippoc. in Coac. Præn. lib. 6. sect. 2. sentent. 1. Quibus vomitus sanguinis, febris multa, & dolor circà mammam, Thoracem, & dorsum, quibus, inquam, hæc omnia accidunt, in breui moriuntur. Vbi ἐμετὸν dicit de sanguine, qui è Pulmonibus largior reijcitur, quanquam propriè de ijs dicitur, quæ per gulam, & Os è Ventre repurgantur, vt aliàs vos docui. Nec noua res est, causam doloris latitare intrà Pulmonis viscus sensus expers, dolorificum verò sensum vicinis partibus acutè sentientibus impertiri, quatenùs videlicet membranæ illæ vniuersæ in mali contagium adductæ distenduntur, aut inflammantur. Quinimò id alibi quoque manifestè cernitur, nimirùm in vna corporis particula reperiri doloris causam, sensum verò dolorificum in alijs persentiri, vt euenit etiam ijs, qui Lithiasi, seu Vesicæ calculo laborantes ad glandem præcipuè, aut in summo pene dolent. Imò ne à parte, de qua sermo, discedam, an non scripsit Hippoc. in eodem Opere. Ex angina nulla ratione detumescente, in Pectus dolor? Vbi dolor circum Pectus omninò concitatur ab oppressione Pulmonum, propter materiæ metastasim. Sed clariùs hoc nobis aperuit, cum dixit: Ex Pulmonis suppuratione dolores circà ventrem, & clauiculam.

Nimirùm dum à redundante materia membranæ diſtendũtur, quæ illis partibus alligatæ ſunt, quando tamen ob violentam Thoracis concuſſionem in tuſſiendo minimè doleant. Inibi autem dolor magis manifeſtatur propter maiorem tenſionem, ſicut in Pleuritide maximus eſt ob eandem cauſam, in Pulmonia verò aut nullus, aut per quàm obſcurus, propter Pulmonis laxitatem, quæ tenſioni cedit. In ſumma, membranæ omnes vbi tenduntur magis, ibi etiam magis dolent. Vnde ratio elicitur, cur interdum dolor in alia parte magis ſentitur, quàm in ea, quæ continet cauſam doloris, & ſoluere quoque poſſumus dubitationem ſuſcitari ſolitam ex Auctore Lib. de Loc. in homine, vbi aſſerere videtur Pulmones manifeſtè ſentire, ipſoſque inflammatione laborantes dolore tentari, quod omnibus repugnaret, & Aretæo in primis affirmanti Pulmones nec habere muſculos, nec neruos ſenſui inſeruientes, ideoque nec poſſe ſenſum participare, nec dolorem pati. Ille enim tradit inter Peripneumoniam, ac Pleuritidem hoc eſſe diſcrimen, quòd in hac dolor tantùm exiſtat in vno latere, in illa verò in vtriſque lateribus. Nam in Peripneumonia qui percipitur dolor cauſam quidem habet in Pulmonibus, ſed lateribus in mali conſortium ductis, quia Pulmones ipſi dum in tumorem attolluntur, & vtraque ob id latera contangunt, ex eo contactu latera ipſa dolent, aut potiùs in proprio inuolucro, membranoſaque tunica qua vndiquaque exteriùs obducuntur, ad quã duo neruuli à ſexta coniugatione demiſſi, & per eandem diſſeminati cernuntur, per quos extrinſecùs Pulmo non obſcurè ſentire poteſt, dum maximè in coſtas tunc vehementiùs impingit, ac intimiùs, niſi etiam, vt antea dicatur hoc poſſe prouenire interſepientium membranarum interiectu, quibus Pulmones ſterno, coſtis, & dorſo alligantur, dum hæ ſcilicet à repletis tumefactiſque Pulmonibus tenduntur, ac deprimuntur. Vnde Hipp. 3. de Morb. notat in Peripneumonicis dolorem ſub ſcapulis, ad clauiculam, & ad mammam, quod ſimiliter facit 3. de Rat. vic. t. 58. & ex eo Galenus ibidem, qua etiam de re ego in Peripneumonia. A Diapedeſi ſanguinis nota ſumitur, quòd vbi detrita, vel attenuata, & rarefacta ſunt vaſa, qui transfluit ſanguis neque multus eſſe poteſt, neque craſſus, vt nec confertim exiens, nec cum dolore, ſupraque dixi in noſtra Hæmoptyſi vix locum habere Diapedeſim,

ſub qua ſerum potiùs ſubcruentum, & paucum, inſtar madoris cuiuſdam excernitur. Præstereà corporis habitus flaccidus, & cacochymus ſit oportet, cùm tenui, aquoſoque ſanguine ſcateat, præceſſerintque neceſſe eſt cauſæ, quæ tum vaſa, tum ſanguinem rarefacere, attenuareque valuerint, ſicuti morbus diuturnus, morbus malignus, longa inedia, animi mœrores, & quæcunque alibi diximus. At rarefactio, inquit Aretæus, citra rupturam eſt, proinde non ſubitanea, neque cum multi, aut craſſi ſanguinis exitu, nam cum rareſcunt venarum corpora, tenuis pars excernitur. Tandem Anaſtomoſis cognoſcitur nõ modò ex corporis plenitudine, & habitu Athletico, & antegreſſo victu pleniori, nam & hæc in Rexi adeſſe poſſunt, ſed multò magis quòd nihil dictorũ anteceſſerit, quòdque ſenſim, & parcè fluat ſanguis, abſque vllo penitus dolore, nulla febre, aut inflammatione. Præstereà Anaſtomoſis à ſola dependens multitudine ſponte & per ſe deſinere ſolet, quod non contingit, ſi à praua ſuccorum qualitate ſuboriatur. Vnde pariter à reiectione Plethoram deplente ægri meliùs habere vidẽtur, vt accidere ſolet in Hæmorrhagijs è Naribus, & ex Hæmorrhoidibus. Hinc eſt quòd Mercurialis notat, & rectè, Voluſium illum Saturninum apud Plinium lib. 11. cap. 38. de quo nos ſuprà, cum ſingulis annis Ore effunderet ingentem ſanguinis copiam, cum hoc tamen ſymptomate nonageſimum ætatis annum exceſſiſſe, non aliam ob cauſam, niſi quòd à ſola ſanguinis copia hoc illi cõtingeret, à qua veluti graui moleſtaque ſarcina quotannis exonerata natura meliùs poſt modum ſe habebat. Quibus omnibus Signa cuncta Diagnoſtica videntur mihi abundè vobis fuiſſe explicita. Quæ etenim Hæmoptyſis à primitiuis, extrinſecisque occaſionibus oritur, per ea quę ab ægrotantibus, vel aſſiſtentibus referuntur non difficulter Medico innoteſcere ſolet, facta vndiquaque accurata interrogatione, imitandoque Galenum in hoc diligẽtiſſimum, vt hic apparet in dignotione Hirudinis tum interiùs inglutitæ, tum meatui palati appenſæ, & in eum intruſæ. Signa autem propria veneni Leporis marini exactè tradita ſunt ab auctoribus ſupranominatis Dioſcoride, Aetio, Paulo, & alijs, quæ ob id à me nunc prætermittũtur, præſertim quia etiam ab eiuſmodi cauſa orta Hæmoptyſis rariſſimè cõtingit, & pro cuius curatione confugiendum ad eos qui de venenis pertractant.

De

*De Prognostico Hæmoptysicorum, in quo aliquot Hippocratis loca explicantur, ac inter se conciliantur; Cur Hæmoptysi aliquandiu cessanti fidendum non est. An omnis Hæmoptois etiam à Pulmone perniciosa semper sit. Vbi Auicennæ sensus dilucidatur. Purulentum sputum quando & quomodo cruentum antecedat. Quot modis enecet Hæmoptysis, & cur quæ à Pulmone alijs exitialior est; Demùm cur ordinata Hæmoptysis minùs timenda, cum contrà ordo in morbis malus, vt apparet in Accessionibus febrium stato tempore redeuntibus, & in Pulsus intercidentia. Febres vltimi Conclauij occasione subortas Pestilentes fuisse, sed sine Peste, vt Galenus loquitur.*

## Lectio, siue Cap. VII.

A Diagnosi veniendum est ad Prognosim, in qua dici vix potest quàm sæpè hallucinentur Medici, in Hæmoptysis nimirùm euentu prædicendo, ignoratione videlicet loci, à quo sanguis verè demandatur, & causæ, ob quã partes malè affectæ illum transfundunt. A simili enim facilè fit in omnibus deceptio, multaq; sunt præsertim nostro hoc in casu communia indicia, vt inde erroris occasio in promptu cuique sit. Vnde exactam posse facere distinctionem, periti solùm artificis est, cui præter assiduam in euoluendis Medicorũ monumentis sollicitudinem, & præter quotidianam in medendo exercitationem, ingens quoque mentis acumen, & intellectus perspicacitas indita sit oportet, vt ad metam proximè accedat, minùsque alijs erret. Non errare enim in prognosticando, suprà hominis captum esse summa cum ratione dicebat Gal. 2. Progn. Res enim est perquàm propinqua diuinationi, quæ solarum mentium à corporea mole segregatarum propria esse solet, quanquam non me fugit quod eloquentiæ parens 1. de Diuinat. exarauit, versari scilicet quandam inter homines diuinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, id est, præsensionem, & scientiam rerum futurarum. Verumtamen quia Medici non perinde ac vates

præsagire debent morborum euentum, quoniam, Galeno auctore de Const.art.18. ridiculus esset, qui arbitraretur tale esse Medicorum præsagium, quale profitentur vates, idcircò vaticinationem, vel diuinationem vatibus ipsis relinquẽtes, illa Signa percurramus, ex quibus aut sanos futuros aut perituros Hæmoptysicos constare nobis possit. Iudicat ergò Hippoc.4.Aphor.25.sanguinem, qualiscunque fuerit, suprà ferri, malum esse. Vbi Galenus excipit sanguinem è Naribus, quia eiusmodi Hæmorrhagia solet plerumque optima esse in adolescentibus, & alijs vsque ad quadragesimum annum, vt Celsus voluit, & experientia docet. Accedit quòd idem Hippoc.5.Aphor.33.scripsit, deficientibus mensibus, si sanguis è Naribus prodeat, bonum esse; quod sanè contrariaretur superiori Aphorismo, nisi Narium Hæmorrhagia ab Hippocrate fuisset excepta. Ideò illud *suprà* per Os magna cũ ratione interpretatur Galenus; Et notate quòd cum Hippocrates ait, qualiscunque fuerit, non modò sanguinis qualitatem intelligit, vt videtur putasse Galenus, nempè siue sanguis sit spumosus, siue ruber, siue flauus, siue niger, siue dilutus, siue crassus, sed & fortasè quamlibet quantitatem, quemuis locum, & excernendi modum. Nullibi sanè videntur ægri animum magis despondere, ac in vitæ diffidentiam, imò & periculum adduci, quàm in sanguinis ex Ore profusione, vndicunque, & quomodolibet veniat. In malis enim habetur, & vt signum, & vt causa. Vt signum indicat factam esse cõtinui solutionem in aliqua non ignobili parte; vt causa, quia debilitatem si non aliud semper affert, exinanitis spiritibus, & proprio innati calidi domicilio. Ideò dicebat Aretæus, cum omnis sanguinis reiectio sit formidanda, illam potissimùm quæ per Os fit, quantumuis paucam, iamque desinentem, afferre mœrorem, diffidentiam, & vitæ desperationem. Quamobrem siue vomitione propriè sumpta è Ventriculo, & vicinis partibus efferatur sanguis, siue expectoretur è Thorace cum Tussi, & dolore, aut ex Pulmonibus subflauus, & spumans, aut è Larynge paucus cum Tussi, aut è faucibus paucus sine Tussi, sed cum screatu, iure merito ab Hippocrate calamitosus dicitur. Sed quid intereà respondebimus pro eodem Hippocrate, qui 7.Aphoris.37. contrariam afferre videtur sententiam, cum ait: Quicunque sanguinem euomunt, si sine febre quidem, salutare, si autem cum

febre,

febre, malum? Quomodo enim ſanguinis vomitus hìc erit ſalutaris, ſi alibi qualiſcunque ſanguis ex Ore fluens exitialis dicitur? Præ-tereà Auicenna loco proprio ſcripſit non omne Sputum ſanguinis timoroſum eſſe, ſed quoddam eſſe cū ſanitate, præſertim in phleg-mone Hepatis, vel Splenis, quoniam ſanguis auertitur, ſi modò inde alleuamentum conſequatur: excernitur enim tunc per modum criſis: cui auctoritati fidem facit experimētum, quo conſtat aliquos interdum poſt reiectam ſanguinis copiā ſalubriùs vixiſſe. Ab inter-coſtalibus quàm ſæpè expuitur ſanguis in Pleuriticis, nullo ſæpè pe-riculo, imò ſæpiùs cum iuuamine? Augeretur quinetiam non pa-rùm dubitatio ex loco ſuperiùs adducto, ſi per vomitum ſanguinis acciperemus reiectationem è Pulmonibus, vt quidam olim inter-pretati ſunt, eo quòd Hippoc. paſſim, & præcipuè 1. de Morb. & in Coac. prænot. in hunc ſenſum τὸν ἔμετον, ſeu vomitum vſurpet. In eodem etenim Lib. Aphoriſ. 15. ſcripſit: A ſanguinis Sputo, puris Sputum, à puris Sputo, Phthiſis. Vbi de ſanguine loquitur à Pul-mone transfuſo. Illam tamen interpretationem coarguit Galenus, quoniam eductus ſanguis à Pulmone etiam abſque febre eſt curatu difficilis, & exitus perſeuerans neceſſariò febrem inducit. An Hip-poc. 4. Aphor. loquitur comparatiuè ad exitum per infernas par-tes, 7. verò ſimpliciter? Vbi tamen non crediderim omnes infer-nas partes eſſe intelligendas, vt in his comprehendatur menſtruale profluuium, quia mulierum menſes nigri haud quaquam boni eſſe poſſunt; non enim boni ſunt, niſi purpurei. Quare, vt Hippoc. vo-ce illa ἄνω ſignificat excluſionem per Os, ità cum dixit κάτω ſignificat excretionem per aluum. Nemo negabit maius vtique periculum ſubeſſe in Hæmoptyſi à Pulmone, quàm ab alijs partibus, propter rationes inferiùs adducendas. Ideò namque dicebat Auicenna, ſan-guinis ſpumoſi è Pulmone reiectionem & maioris malitiæ, & dete-rioris finis eſſe. Verùm nec qui è Pulmone ducitur ſemper vno, & eodem modo calamitoſus eſt, imò & qui inde prodit interdum ſa-lubris eſſe poteſt, vt ab initio dicebam, natura ſe per viſcus illud à grauante Plethora exonerante, vt ſæpè apparet in mulieribus, & aliquando in viris quoque, ac iuuenibus ſtudioſis animaduertere potuerunt multi. Vnde etiam Fernelius lib. 5. de Part. Morb. & Sympt. cap. 10. teſtatur Pulmonum venam caſu, labore, clamori-

buſue

busue ruptam,aut æstu,balneis,vini potu alimentisue calidis & multis,vel etiam suppressorum mensium eò confluentium multitudine reseratam,magnam sæpè sanguinis copiam profundere,quam nulla Tabes est insequuta, ac ità affectos plerosque vidisse diù posteà vitam nullo incommodo exegisse; Cuius euentus similiter hanc ibidem affert rationem. Non enim simplici venæ ruptione, modò reliqua Pulmonis substantia integra sit, quisquam contabescat. An non dicit Gal. 5.Meth. Hæmoptysicos illos sanitati ab ipso fuisse restitutos, qui ad eum ante phlegmonis ortum confugere? Quapropter nec adeò malè sentire hi videntur, qui Aphorismum lib.7. accipiunt etiam ac interpretantur de reiectione sanguinis è Pectore,& Pulmone,vt velit Hippoc.eos minùs periclitari in Hæmoptysi è partibus Spiritalibus, atque adeò à Pulmone ipso, in quibus adhùc febris minime suborta sit: indicatur enim longè etiamnum abesse phlegmonem, aut inflammationem, qua non superueniente, valde minus periculum æger subit, cum & aliquando intereà sanetur; Illud enim verbum *salutare* curabile significat, aut minùs malum. Audiamus obsecro eumdem Hippocratem in Coac. prænot. ità loquentem. Quibus sanguis expuitur,confert,si neque febriant, neque nisi moderanter tussiant, doleantque, & Sputum tenuetur ad dies quatuordecim. Febricitare verò, & prætereà tum tussire, tum dolere,sanguinemque recentem expuere,inutile. Et non valde post: Qui spumosum sanguinem ἐμέουσι,hoc est,vomunt,nullo dolore in partibus, quæ sunt sub Diaphragmate, ijs è Pulmone vomitio est: Et quibus magna vena in Pulmone rupta,euomitur sanguis, & in periculo versantur: quibus verò parua,minùs reijciunt,& minùs periclitantur. Quare dici potest Auicennam,considerata priore sententia Hippocratis, potuisse ex ea colligere, sanguinis Sputum malum quidem esse,sed vbi non sedatur,& semper recens spuitur, atque vbi febricitant, non tamen si vel retineatur, vel sine febre sit:nisi dicamus etiam Auicennam loqui de Sputo sanguinis minimè principali, vt nec est illud obseruatum aliquando in Pleuriticis,in quibus ideò bonum censetur,quia indicat morbum esse à sanguine, qui placidior sæpè est. Vnde in Sputo sanguinis principali, cuiusmodi est à Pulmone, dicatis, vt plurimùm ægrotantes in magno vitæ discrimine versari,periculumque duplici modo continge-

re,

re, vt è verbis colligitur Tralliani, imò Hippocratis lib. 1. de Morb. Gal. 7. de Medic. Local. & Aetij Tetrab. 2. Ser. 4. cap. 63. vno videlicet, quoniam Hæmoptyſis ex ſe nata eſt interimere, immodicam plerumque inducens euacuationem, altero autem, quòd diuturniorum, peſſimorumque morborum cauſa exiſtat. Si etenim ex ruptione magnorum vaſorum oriatur malum, nempè venæ arterioſæ, plurimum ſanguinis eijciatur oportet, vnde præſentaneum ægris periculum impendet: ſin autem ex ruptione tantummodò gracilium, ecquis non videt multò minus periculi ſubeſſe? non enim, vt perſeuerante profluuio, mors ità inſtat quamcelerrima. Nec ſtatim à cohibito cruoris profluuio ſpontè, vel arte, vti venæ ſectione ſæpiùs celebrata, frictionibus, ligaturis, alijsque auxilijs refrigerantibus, incraſſantibus, vno verbo, conſolidantibus, putandum à nobis eſt, deuictum fuiſſe malum, quod, auctore Celſo, cùm ceſſare videtur, repetit. Vnde Aretæus, Si benè, inquit, cedit curatio, ſanguisque compeſcitur, in contraria paulatim adijciendo fiat mutatio; atque (vt dici ſolet) ne quid nimis: huiuſmodi enim vitia facilè reuerti ſolent, ac maligno ingenio prædita ſunt. At ſi fluens ſanguis ſupprimatur quidem, ſed non abſque phlegmonis ortu, quæ in pus ſoluatur, alia relinquitur calamitas, dico, ex ſuborto vlcere ab effuſi ſanguinis putredine, Phthiſis; ad quæ duo mala, ſeu pericula alludit Auicenna cum ait; Quumque Sputum ſanguinis eſt ex partibus Pulmonis, comitantur ipſum duo timores, ſcilicet timor ſuperfluitatis eius, & timor vulneris, ne fiat vlcus, ad quod ſolum reſpexit Hippocr. citato Aphoriſmo 15. lib. 7. Loquitur enim ibi de ſanguinis exitu à Pulmone, &, vt plurimùm fit, Eroſionis cauſa. Alioqui enim, vt rectè monet Galenus, ad quoduis ſanguinis Sputum puris ſpuitio minimè ſequitur. Sed poteſt ne interdum è Pulmone puris Sputum eijci, ante cruentam expuitionem? Poteſt quidem in inflammationibus Pectoris ad ſuppurationem deuenientibus, vt puta Pleuritide, Angina, & Peripneumonia, in quibus pus ipſum ex rupta vomica intra quadraginta dies repurgari non potuit, ſed in Thoracis cauitate collectum, & corrodendi vi præditum, cum eidem ex Pectore in arteriam per Pulmonem iter detur, laxiores Pulmonis partes potiſſimùm lacerat, mollemque eius carnem, intactis adhùc durioris naturæ vaſis, exedit, & ità purulentum ante cruentum generatur

ratur Sputum; Verùm vnde obsecro est, quòd Hæmoptysis à Pulmone exitialior est alijs? Quoniam cui aduenit Sputum sanguinis à Pulmone, hic paratus est vt in eiusdem visceris vlcus incidat, sicut rectè Auicenna dixit. Nisi enim statim longè arceatur phlegmonis generatio, & mox à principio vasorum coitio fiat, iuxtà curationem in primis à Gal. propositam 5. Meth. 8. vlcus cruoris Sputum subsequitur, quod vbi in Pulmone hæsit, nonnullis, eodem Galeno assertore, curatu tantummodò perdifficile visum est, nonnullis verò alijs non difficilis solùm eius curatio, sed etiam ἀδύνατος, id est, impossibilis iudicatur. Reddēs verò Galenus difficultatis, aut etiam impossibilitatis rationem ad finem citati cap. ait: Non igitur propterea quòd in perpetuo propter respirationem motu viscus id est, desperata curatio est, velut qui ante nos fuere censerunt, sed propter saniei, & puris vacuationem, ideòque si statim quis sit aggressus, ac iam dicta ratione medeatur, coeunt: sin phlegmone priùs occuparit, difficilem, incertamque curationem recipiunt: quando pus, & sanies prorsus totaque ex spatijs Pulmonis non expelluntur, & Tussis ægras partes valde lacerat. Quare dicatis in hac Hæmoptysi, si statim ante inflammationem dilaniata pars glutinetur, nullum adesse periculum, sed eandem post inflammationem omninò reddi insanabilem. Nam ad inflammationem sequitur febris, & cum hac etiam puris generatio, quod pus glutinationē prohibet, quemadmodum eiusdem puris excreatio quæ nō fit nisi per Tussim à qua pariter magis magisque lancinatur vlcus. Inflammationis autem periculum est vsque ad quartam diem, intra quod tempus effugi potest, & glutinantur etiam magna vulnera, Galeno auctore 5. Meth. cap. 15. Sed videor mihi audire aliquem vestrum quærentem à me, per quænam cognoscemus iam phlegmonem contraxisse vulnus, ne in prædicendo error fiat? Hic opus est coniectura primùm ex tempore, quo æger laborare incepit, mox ex febre, quam ad phlegmonem sequi audiuistis, idque necessariò, ob visceris calorem, cordis vicinitatem, & cum eodem per bina vasa connexionem, demùm ex sanguine ipso exeunte, qui tunc & paucus est, & non florens, & saniei admixtus, quippe qui iam putrescere incipit. Minùs tamen etiam periculi hoc in mali genere subest, si interpolata magis quàm continuata sit sanguinis expuitio, &, si ordinem ser-

uet,

uet, quàm si sit inordinata, quoniam videlicet varietas omnis, quæ ex ordine non procedit, curationi insidiosa est: alioqui enim status ille ordo in malis vt plurimum deterior habetur, quàm inordinatio. Ità videmus, quacunque hora febris dimiserit, si eadem cras inceperit, malum dici ab Hippocrate, quia morbus prorogatur, vt puta qui altiùs suas fixit stabiles radices. Ità denique, ne à re nostra longiùs discedam, iudicant Medici valde minùs periculosam esse inordinatam pulsus intermissionem, quàm quæ ordine quodam incedit, eo quòd ordinatus pulsus intercisus firmam, & auulsu difficilem arguit affectionem, quæcunque illa sit, & quocunque in loco: licet enim semper adsit arteriæ angustia, pro diuersitate tamen partium vnde mali emanat origo, magna ob id in hoc velut ob materiei varietatem differentia reperitur: inordinatus verò mobilem ac vagam ostendit affectionem, & quæ consequenter superari à natura potest. Vnde mensibus præteritis (& sit id vobis instar corollarij) in febre Illustrissimi Principis, quæ dubio procul fuit de censu illarum, quæ à Gal. 3. de Præsag. ex pulsib. 4. pestilentes sine peste vocantur, quoniam præter communicationem, aut contagium, ferè omnia illa secum inuehunt symptomata, quæ in peste ipsa obseruari solent, quo genere febrium laborauit, imò & interijt, quemadmodum aliàs per idem ferè anni tempus euenisse referunt Iouius, & Platina, bona pars eorum, qui in Vaticani Conclauio, post obitum Gregorij XV. Pont. Opt. Max. Sirio furente sydere, circiter tres Hebdomadas morati fuere, de quorum numero & ego fui, à communi tamen erumna, aut pernicie, quod item nõnullis alijs accidit, per longam Diarrhœam citrà febrim, opitulante Deo præseruatus, cum, inquam, in illius febre, inter alia praua signa, quæ vsque in cẽtesimam diem rem valde ancipitem fecerunt, pulsus nonnumquam apparuisset intercidentia, sed inordinata prorsus, &, vt plurimùm, breuis, ac rara, apertè semper dixi, quamuis in iuuene foret, non esse adeò extimescendam, quod ordine careret, atque frequentia, & quòd locus in ea primariò laborans nullo modo Cor esset, sed ab eo longè distans: Erat autem Ventriculus, de quo valde querebatur, & cui ob id extrinseca remedia admouere opus fuit. Vbi enim in parte Cordi propinqua, & multò magis in Corde ipso affectio est, non solùm maximam & multiplicem habet pul-

suum

ſuum inæqualitatem, ſed & tremorem, palpitationem, ac syncopen, acciditque Cordi illud, quod etiam ex Apoplexia contingere ſolet, quemadmodum nos docuit Gal. 2. de Præſag. ex pulſib. 4. vbi loquẽs de Cordis inflammatione, à qua pulſus omnino intermittit, ad hunc modum ſcripſit: Porrò autem mors à pulſibus intermittentibus repentina corripit, non aliter, quàm ab Apoplexia: Vtrobique enim Cordis calor extinguitur reſpiratione deſtitutus. Et hæc hodie ſatis; nam reliqua ad Prognoſim ſpectantia in craſtina Lectione abſoluam.

---

*De eodem Prognoſtico, in quo obiectiones quædam diluũtur, & Hippocratis locus enarratur. De falſa in morbis tranquillitate, malaque in cunctis indulgentia, quæ pacem abigat. Cur inter Mulieres Hæmoptyſicas aliæ ſtatim ſanæ fiunt, aliæ morboſæ, & omnino Phthiſicæ euadunt; ſuper qua re Schenkij opinio in examen adducitur. Cur ſanguis à gingiuis interdum eſt valde periculoſus, velut qui ab arteria, non ſimiliter qui è vena, & demùm cuius ſcreatio eſt per Diauroſim, non ſic per Anaſtomoſim, Diapedeſim, Rexim.*

## Lectio, ſiue Cap. VIII.

IN Signis Prognoſticis Hæmoptyſis à Pulmone, de qua nunc ego præcipuè loquor, dicebam ſuprà vobis, eam eſſe alijs omnibus differentijs deteriorem, additis etiam ex Galeno rationibus. Qui quidem Gal. 7. Aphoriſ. huiuſmodi ſanguinis ſcreationem malignæ titulo inſigniuit: iuxtà quod rectè, ac verè cecinit vates ille:

*Cernis vt è molli ſanguis Pulmone remiſſus*
*Ad ſtygias certo limite ducat aquas?*

Attamen in oppoſitum quædam proferri poſſunt obiectiones, quas priùs diluere ſtatui, quàm reliqua Prognoſim reſpicientia ad calcem hodierni Sermonis adijciam. In primis itaque obijci illud

poſſe

posse videtur, quod ex Hippoc. in Coac. prænot. elicitur; vbi conferre scripsit, si Hæmoptysici tussiant, ac doleant leuiter. Ità namque magis periculosa esse videtur sãguinis reiectio è Pectore, quàm è Pulmone. Siquidem in excreatione sanguinis è Pectore & Tussis vehementior est, & dolor effatu dignus: vehementia autem Tussis ideò maior est, quia secundũ aliquos in cauo Thoracis sanguis concrescens in grummum, non facilè recipitur in asperas Pulmonum arterias, propter densitatem concretæ substantiæ, & ductuum angustiam; dolor verò, quia Thorax & musculis, atque membranis abundat, & multos ab internis, & externis partibus neruos suscipit, quorum gratia exquisitè admodum sentit. A Pulmone verò sanguis & cum Tussi leuiori, & absque dolore effertur, vt suprà abundè probaui. Scitote obiectionem hanc de medio tolli, si Hippocratis sermo non simpliciter accipiatur: neque enim absolutè laudat moderatiorem Tussim, & leuiorem dolorem, sed in comparatione, & habita ratione eiusdem loci affecti. Vnde Iacotius in com. doctè, ac eleganter dicit, satius esse sanguinem è Pulmone cum nullo dolore, & exigua Tussi, expectorari, quàm cum dolore ponderis instar, & vehementi Tussi, aut irrita, & molesta: idemque iudicium faciẽdum esse de reiectione è Thorace. Quantò enim minor Tussis, & remissior dolor, tantò morbus leuior, & facilior expectoratio, in qua Pulmo nõ admodum laceratur tussiendo. Ad hæc in sanguinis fluore à Pulmone, ægri non modò se nullum persentire dolorem affirmant, sed læto potius animo sunt, aut non ità mœsto, vt in sanguinis reiectatione à Pectore, aut alia ignobiliori parte. Ergò minus periculi subest in Hæmoptysi à Pulmonibus: notum siquidem est ex Hippocrate, nullam maiorem esse certitudinem, quàm corporis sensum. Iam suprà intellexistis, quàm formidabilis sit sanguinis reiectio per Os, ideòque maximè mirum esse, Aretæo auctore, quòd in solo sanguinis Sputo è Pulmone, cum tamen cæterorum periculosissimum sit, non adeò mœreant ægroti, nec animum despondeant. Cuius rei afferens idem scriptor rationem, putat esse illius partis indolentiam, quia dolor in plerisque terribilior, quàm periculosior est: indolentia verò in magnis etiam morbis securitatem à morte affert. Attamen quàm sæpè in magno vitæ discrimine versentur ægri, licet ipsi nihil mali se pati asseuerent, notius est quàm

vt

vt longiori egeat demonstratione. In exemplum sint Hectica febre laborantes, veluti & febre verè maligna, in qua sæpè vsque ad mortem nullam se percipere noxam, imò perbellè habere testantur, mente nihilominùs constantes. Idem obseruamus in hectica Phrenitide, & in Pleuritico dolore citrà rationem obscurato, nec non in Peripneumonia, in qua Celsus ait plus esse periculi, quàm timoris, Ficta enim, aut non vera quàm sæpè ægroti videntur nobis frui quiete, qualis in Leonidæ filia ab Hippoc. animaduersa, quæ mortua tamen est, & Medicus, vt idem ait, non intellexit. Id quod ægrotantium multis accidit, mente vacillante, & non dignoscente, sæpè verò etiam, quia vel omnino deuicta est natura, nec pugna fit, extincto iam calore natiuo in moribundis, vt Galenus docet in Histor. Hermocratis, vel adeò oppressa per morborum initia, vt ab opere incepto sæpè supersedeat, quæ cessatio per quietem quandam apparens non naturæ victoriam indicat, sed infirmitatem eiusdem potiùs, & morbificæ materiæ prædominium. Ideò tranquillitas tunc nescio quæ cernitur in ægris, natura vires ad nouam luctam colligente, sed mala est illa indulgentia, quæ pacem abigit, vt idem diuinus senex non minùs medicè, quàm politicè asserit. Vnde qui interdum lenes mollesque ab initio, aut etiam progresso morbo, dolores fiunt, presertim in Pleuriticis, mox quasi è latebris, & ex insidijs inualescentes ægros subsequentibus diebus acriùs inuadunt, perniciosi admodum sunt, vt propterea non adeò tuta res sit, spem salutis in doloris absentia, aut mitigatione, vel falsa potiùs quiete omninò collocare: quod præcipuè in casu nostro elucescit omnium sæuissimo, & maximè lethali; in quo ægri ipsi, quia nullam habent tristem, molestamque sensationem, occasione partis sensu tactus carentis, magis timent mediocrem sanguinis eiectionem è lateribus Pectoris, aut etiam è gutture, vel Trachæa, quàm largè, & frequenter demissam è Pulmonibus. In huiusmodi enim re fallax esse potest corporis sensus. Postremò obijcitur, quòd inter mulieres adsint quæ sanguinem è Pectore, atque adeò è Pulmone reiectant copiosum, dum menstrua laborant suppressione, idque innoxiè prorsus, & cum ne minima quidem Tabis suspicione. Cuius rei historiæ, ac testimonia quamplura passim apud Medicinæ scriptores referuntur, & vix Medicus est, qui in Arte facienda consimilem casum ali-

quan-

quando non animaduerterit. Quare, experientia teste, mulieres sæpè effundunt sanguinem à Pulmone, non solùm absque vllo Tabis, aut suppurationis periculo, sed sępè etiam cum vtilitate. Quamobrem, si ità est, non semper verum erit quod scripsit Hippoc. A sanguinis Sputo, puris Sputum, à puris Sputo, Phthisis. Quinimò & falsum esse quis putabit quod ab eodem traditur lib. 1. de Morb. mul. hunc in modum: Quibusdam mulieribus menses bimestres in Vtero existentes, multi ad Pulmonem procedunt, & vbi recepti fuerint, omnia patiuntur, quæ in Tabe dicta sunt, & non est possibile ipsas superesse. Vtro enim modo explicetur dictio illa *bimestres* siue nimirùm quòd per duos menses hi retenti in Vtero, quibusdam mulieribus procedant in Pulmonem, ob idque symptomata Phthisicorum inuehant, & denique mortem ipsam, siue quòd menstrua cohibita cùm demandantur ad Pulmonem per duos menses, & in eo recipiuntur, Tabem & cum Tabe mortem afferant, viget dubitandi ratio, experimento suffulta contrario, quo abundè constat, mulieres quasdam vel primo mense raptum sanguinis menstrui ad Pulmonem passas fuisse, nonnullas verò nō solùm per duos menses, verùm quoque per valdè plures illud idem esse perpessas, quæ tamen neque suppuratæ, neque tabidæ factæ sunt, aliàs denique aut ex primo, aut secundo, aut tertio, aut vlteriori motu harum materiarum ad Pulmonem, suppuratas, ac tabidas euasisse. Etenim se vidisse ait Petrus Salius Diuersus, qui rem hanc exactissimè rimatur in com. ad lib. 1. de Morb. multas, quæ non tantùm per menses, sed etiam per annos hunc euacuationis modum innoxiè tolerarunt, alias verò quæ citò ex tali euacuatione periclitantes suppuratæ, & tabidæ euaserunt. Cuius quidem varij, ac diuersi euentus rationem inquirens, subiungit, id in illis contingere cùm ex diuersitate sanguinis, tum ex diuersitate habitus. Vnde mulieres illas, quæ benigniorem sanguinem aggregant, quæque habitu præditæ sunt laudabili, innoxiè, ac citra vllum detrimentum talem euacuationem tolerare se animaduertisse testatur: cōtrà verò illas, quæ prauum sanguinem colligunt, quæque sunt calidioris habitus, aut prauis scatent succis, vel malam habent Thoracis formationem, non diù cum salubritate hunc motum ferre, sed citò suppurari, & contabescere. Quamobrem rectè addit, Hippocratis sententiam

veritatem habere in his, ſed non in illis, quoad ſucceſſum, quo autem ad tempus, nequaquam, quia non modò bimeſtres, ſed & quæ anteà, & poſteà id patiuntur, in iam dicta mala incurrere poſſunt, præſertim ſi illa reperiatur conditio ab Hippocrate relata, hoc eſt, & vbi recepti fuerint, quaſi velit, ſi menſes proſilientes in Pulmonem, in eo ità recipiantur, vt non inde ſtatim educantur, ſed firmentur: ſic enim ibi ex ebullitione putreſcentes, ſuppurationem, ac Tabem inducunt, à Pulmone ſcilicet ad Os tranſmiſſi vel rupta, vel aperta aliqua illius vena; cum quibus tamen non neceſſariò aut ſuppuratio, aut Tabes ſubſequetur, niſi vel Cacochymia aderit, vel Cachexia, quæ duo mutuas ſibi præſtant operas in totius perniciem, aut denique mala reperiatur Thoracis formatio, qualem habent quicunque ab ortu natiuam contrahunt Tabem. Iuxtà quod arbitror ſcriptis notatum fuiſſe à Schenkio primos puellarum menſes (quos tamen natura malignos eſſe ait) exitiales magis fieri, vbi circà primos typos impediti, non expeditè excernuntur, vt argumento eſſe poſſunt Mœllitæi catelli virginibus nonnullis in Gyneconitide, & alibi in delicijs habiti, qui, ijs deguſtatis, in rabiem aguntur. Proindè, inquit, non mirum, ſi ſurſum reſtagnantes menſes, ſua virulentia Pulmones erodant, & corrumpant, & Phthiſim aliàs δυσίατον morbum, ἀνίατον prorsùs efficiant. Alioqui in eodem & ipſe erit errore, quo Fernelius, vt ſuprà vberiùs intellexiſtis. Sunt enim reuera virgines plures, in quibus antequàm mẽſes appareant, vel dum primùm exire incipiunt, ob anteactam vitam prauis omninò ſuccis abundantes, & ex ijs magnis quoque obſtructionibus, decoloratione, ſæpè quoque pica, & febre alba nuncupata detentæ ac diuexatæ, quarum menſtrua maiori ex parte vitioſa qualitate prædita eſſe facillimè conceditur, vt prædicta ob id mala omnia inuehere poſſint in fæmellis ipſis, quemadmodùm & alia quibuſcunque huiuſmodi menſtrua deguſtantibus poſſunt ſuperuenire. Quæ omnia diligenter ſunt expendenda à Medico, prius quàm proferat de mulieribus Hæmoptyſicis iudicium, vtque probe noſcat, quibus ſit præſtandum, vel non præſtandum auxilium. Locus autem, ac tempus ſanationis erit, dùm mulieres nondum tabidæ factæ ſunt; quo tempore menſium motu prouocato, & ad naturalem deducto, à Thorace ad Vterum diuerſione facta, ſanitati reſtitui poſſunt: alioqui

qui

qui frustrà, & incassum tentabuntur omnia. Prosequamur nunc vsque ad finem reliqua Signa Prognostica, vt in subsequēti Lectione indicationes proponere, & curationem aggredi possimus. Quemadmodum igitur audiuistis sanguinis fluorem à Pulmone ferè semper calamitosum & exitialem esse, ità ab alijs partibus demandatus valde minùs periculosus est, aliàs tamen plus, aliàs minus, pro locorum, & causarum diuersitate. Vnde à Thorace qui emanat sanguis, multò minus malum portendit, quòd carnosa pars illa sit, & venas habeat perquàm exiles, nec non quia delabens in Pectoris spatia, vel non ità ibi retinetur, vt fit intrà Pulmonum cauernulas, vel si detinetur, nō perinde promptè illud exeditur, aut corrumpitur, atque caro Pulmonis laxa, & mollis. Ideò Gal. 4. de Loc. aff. & 5. Meth. scripsit in Hæmoptysi à Thorace minus inesse periculi, veluti in ea, quæ vomitione fit, seu à Ventriculo, seu ab inferioribus partibus conscendat sanguis. Addatur quòd malum hoc in Pectore, si non sanatur à principio, nec eius venulæ coalescunt, sed vlcus omninò suboritur, valdè minus periculum affert, quàm vlcus Pulmonis, quoniā vel magna Pectoris vlcera sanantur, inibq; caro restituitur. Facilioris tamē etiam curationis est Hęmoptysis è Trachæa, quia vlcus in ea ob siccitatem facilè sanatur: plurimùm enim ab erosione gignitur: At erosio sanatur, vbi putredo facilè sistitur, & sistitur perquam facilè, vbi siccum præualet, ideò Gal. 5. Meth. eiusmodi partis vlcera sanari affirmat. Ab Oris autem partibus prouenìens, minùs terrere nos debet, licet à faucibus metus maior esse soleat, tametsi sanguis à Capite descendat, eiusdemque à Gula, atque Trachæa manantis difficilior sit curatio, quàm ab alijs Oris partibus. Ità enim quasi semper rem hanc se habere notissimum est, interdū tamen euentus aliter demonstrat, quoniam visus est aliquando sanguis è gingiuis frequenter, ac tanta in copia excretus, vt mortem intulerit, vel Hippocratis testimonio in Coac. prænot. Vbi Hollerius se vidisse ait è loculo dentis longo tempore sanguinem profluxisse, qui nullis remedijs cessit, ægrumque tandem sustulit. Marc. Donat. Mirab. Hist. lib. 4. cap. 9. Ipse, inquit, recordor, dum primis annis medicinam facerem, me visitasse Fabrum quēdam Ferrarium, lienosum hominem, cui ichorosi sanguinis ex venula gingiuæ librę ampliùs octo per totum diem ac noctem extrà fluxerunt.

runt. Quare & Ioubertus cap. proprio, postquàm dixit sanguinem exeuntem à gingiuis, & Ore minùs terrere nos debere, ad hunc modum subiungit: Et si nonnunquam gingiuarum Hæmorrhagia ferrum candens expostulasse mihi visa fuerit, vbi diù frustrà medicamentis tentata esset curatio, attamen Heurnius quandam nouit mulierem, quæ eliso dente, periodis, illa cauea, menses reddebat. Nec mirum cuipiam sit, quòd ex tàm exiguo & angusto loco tanta interdum erumpat sanguinis copia, quoniam multæ, hæque insignes venæ maxillarum cauis inseruntur, quæ si arrodantur, sanguinem reddunt, qui ægrè supprimatur; multò magis, si vas corrosum latitat, neque sub oculos venit; Quæ obsecro attentè considerent quicunque sibi dentes valdè fixos, nec mobiles elidi tam facilè mandant. Contemplanda præterea est natura vasis, vnde sanguis exit, quoniam ab arteria, an à vena feratur, multum interesse dicit Aretæus: Siquidem qui à vena mittitur, minus periculi affert, celeriùsque compescitur: ab arteria verò contrà citiùs hominem perimit, & maiori negotio supprimitur, quòd arteriæ agitatio sãguinis fluorem moueat, vulnusque per continuum motum, & potissimùm diastolis, continuò dehiscat. Causarum quin etiam proximarum, Diæresis, Anastomoseos, atque Diapedesis varietas in causa est, vt varietur & prognosis. Nam Diæresis ab Erosione, vno verbo dicam, Diaurosis curatio omnium difficillima est, longa, & dubia. In ea siquidem non simplex vulnus adest, sed vlcus spermaticæ partis quasi putrefactæ, quæ non regignitur, cuiusque vlcus ad solidationem minimè ducitur, quia partium distantia obstat agglutinationi. Id quod si verum esse constat in Erosione cæterarũ partium, quantò magis veritatem habebit in ea, quæ est in Pulmonibus, quæ ferè in Tabem desinit? Ità enim Gal. docet lib. 2. de Præsag. ex puls. cap. 1. & lib. 5. Meth. 15. Vnde Celsus lib. 4. cap. 4. loquens de Diaurosi, & Anastomosi, ait vltimam minimè nocere, primam grauissimè. Erosio etenim acris humoris soboles diuturno tempore indiget ad sanationem, eò quòd emendari, seu ad meliorem frugem reduci primùm debeat humoris vitium, quod intereà dum corrigitur, Erosio latiùs serpens, vlteriusque progrediens immedicabilem parit affectum, propter Pulmonis molliciem, & imbecillitatem. In tempore enim interim vlcus non siccatum putrescit, & circumstan-

tia depascitur: Aut siccatur in callum, quod longiori vita frui hominem sinit, donec iterùm abscedens nouum vlcus excitet, vt ex adducto Methodi loco elicitur. Accedit quòd ab Erosione vlcera in circuitu serpentia euadunt rotunda, cuius figuræ omnia difficulter curationem admittunt, non solùm in pueris, vt est apud Hipp. 6.Epid. sect. 1. t. 19. sed passim in omnibus propter rationes, quæ afferuntur à Cassio Medico ab initio suorum Problematon. Hinc Celsus lib.5.cap.26. Pessima quæque plaga in orbem est: tutissima, quæ lineæ modo recta est. At Diæresis per Rexim subortæ, hoc est, rupturæ facilior solidatio, quia vulneris labra se contingunt: imò nonnunquam iuuat talis Hæmorrhagia, vt eos quibus suppressa est aliqua naturalis excretio, veluti Narium, Hæmorrhoidum, & Vteri. Sæpiùs tamen periculosa & ipsa existit; quanquam multò minùs quàm Erosio; vel ob nimiam sanguinis iacturam, vel ob subsequens vlcus. Minor autem valdè metus est in Anastomosi, & adhùc multò minor in Diapedesi, cum in vtraque sanguis aliàs spõtè conquiescat, aliàs leuiter refrigerantium & astringentium vsu, eodem Aretæo auctore: A quibus causis emanans fluor tantum abest, vt mali quidpiam minetur, nisi quantitate excedat, vt sæpenumerò conferat, præsertim quibus menses, & Hæmorrhoides restiterunt, assertore Paulo. Sed inter naturas, ac ætates, de quibus suprà etiam in Diagnosi, quæ nam obsecro magis minùsue periclitantur? Faciliùs curabiles esse dicuntur quadrato corpore præditi, quos Græci εὐσάρκους nominant, non succulenti, aut carnosi, vt voluit Erasistratus, cui Asclepiades vehementiam spirationis, curationi obstantem, rectè videtur obijcere: quo nomine in adolescentibus quoque & pueris difficilioris prouinciæ redditur curatio. Curantur quoque faciliùs fortes, & paruicolles, ità enim vertit Aurelianus, μικροτραχήλοι. In gracilibus enim, debilibus, & porrecta colli longitudine, difficilis est sanguinis cohibitio, vt etiam Tussis: qua de re infrà pariter in Phthisi. Prætereà in fortibus promptiùs sanatio fit, quia dat adiutorijs medicinalibus viam fortitudo corporis, vt in vulneribus quoque partium externarum fieri cernitur. Iuuenibus enim laboriosam vitam degentibus, atque robustis, facilia sunt vulnera: senibus verò, inexercitatis & debilibus, difficilia. Denique faciliùs curatur fluor à faucibus, gula, aut Ventriculo veniens, quòd hausta

medicamenta patientibus locis indomita occurrunt, quorum contrà allatæ qualitates non raró frustrantur, quotiescunque fluor est ab intimioribus partibus Pectoris, aut Pulmonum, quoniam hæ à vicino medicamentorum tactu longè remotæ sunt. Et hæc satis de Prognostico, & vniuersa morbi huius Theoria.

---

*De Indicationibus pro recta instituenda Curatione Hæmoptyseos, moxque de instrumento Diætetico, in quo primùm de Aere agitur, ostendendo quàm necessaria sit in morbis Pulmonum aeris prouidentia, & cur in locis marinis diutius viuitur; Vbi Celsi locus percelebris, in quo nostro in casu per Hyemem laudat loca maritima, per Aestatem verò mediterranea, aliter ac fecerit Ronsseus, ab Auctore explicatur.*

## Lectio, siue Cap. IX.

CVM hactenus exposuerim vobis Hæmoptysis naturam, nunc de eiusdem Curatione tempestiuum est agere; quam quidem studiosè facere oportere dicebat Paulus lib. 3. cap. 31. propter instãs ex immodica euacuatione periculum. Nam copia eius, qui educitur, quemadmodum in ijs, quæ iugulantur, breui mortem inducet: si verò affectio persistat, transitum ad Tabem minatur. Addo & aliud subesse euidens periculum in sanguine confertim exeunte, ac erumpente, quòd nimirùm sæpè repletis, & obstructis vijs spiritus, hoc est ramis asperæ arteriæ, hominem strangulando pernecet. Vnde nos Trallianus monet, quæcunque fuerit fluoris causa, in ea nihil cunctari debere. Cum enim dilatio in quouis morbo sit valdè mala, multò magis in sanguinis Sputo periculosam eam esse tradit. Neque enim hìc mihi sermo est de illo sanguinis exitu compescendo, qui interdum etiam per Os Naturæ opus esse potest, quique per Crisim quamdam ab internis morbis liberare ægros posse dicitur, sed de symptomatico prorsùs, qualis ferè semper est quicumque à Pulmone venit, licet copia mediocris sit: siquidem sanguis vndicunque fluat, cum immodicè fluit,

statim

ſtatim ſiſti debet, at ſi è partibus ſpiritalibus, quicumque ſit, vel ſine immoderatæ quantitatis periculo. Quoniam autem dictum & pluribus oſtenſum à me eſt, Sputum ſanguinis ex Ore procedens, à multis varijsque locis ſupernis & infernis primitùs demandari, fortaſſe aliquis cogitabit, me in tradenda curatione Hæmoptyſeos, de ſingulis acturum eſſe locis, vnde ſanguis ad Os tranſmittitur, vt ab alijs propè omnibus factitatum eſſe conſtat. Sed quia mea, vt non ſemel dixi, intentio eſt, agere tantummodò de illa ſanguinis ex Ore profuſione, quæ à Pneumaticis, atque adeò ab ipſo Pulmone procedit, difficillima ac frequentiſſima Pectoris affectione, vt Gal. etiam fecit lib. Meth. 5. vbi αἵματος πτύσεως, ſeu ſanguinis reiectationis nomine eam propriè ſanguinis excluſionem intelligit, quæ à Thorace atque Pulmone manat, quamquam ſanguis è tot alijs ſuprà numeratis partibus in Os confluat, idcircò duas ſolùm partes nunc ego conſiderabo, à quibus demandatus ſanguis in Pulmonem, facilè in eo poteſt veram Hæmoptyſim, hoc eſt, quam Phthiſis ſubſequatur, efficere. Quæ partes ſunt Caput, & Vterus; & quoad Caput, primo loco tradam curationem Hæmoptyſis genitæ ex eo, quòd ab ipſo Capite nimis vel repleto, vel calefacto ſanguis per guttur, & Trachæam in Pectus, & Pulmonem delapſus, ibique intrà foraminulentam Pulmonis carnem receptus, atque putreſcens, eiuſdem vaſa exedere, ac lacerare poteſt. Deinceps de curatione agetur ſcreationis ſanguinis vitio Vteri in mulieribus, in quibus menſes restiterint, aut impēsè admodum imminuti ſint. Tunc etenim Vterus ſuperabundantem ſanguinem ad Pectoris, & Pulmonis vaſa refundens, ob conſenſum ex anatome ſuperiùs demonſtratum, ſæpenumerò in illis, propter eas, quas audiuiſtis, rationes, Hæmoptyſeos ac Phthiſeos occaſio euadit. Poſt hæc inſurget curatio Sputi ſanguinis ex diſrupto, & aperto vaſe in Pulmonibus, morbo illic maximè vigente, ac tandem illa potiſſimùm examinabitur curatio, quæ Hæmoptyſim reſpicit tā ab acriori materia Capitis enatam, vt frequenter euenit in ijs, qui tum vniuerſi corporis habitu, tum præcipuè Capite ſunt feruentiori, & ſicciori ſimul, in quibus ferinæ accumulantur materiæ, nempè ſalſuginoſæ, & perquàm tenues, quæ aſſiduè per deſtillationem ad Pulmonis loca demittuntur, donec ibi corroſione facta, malum progignerint, quàm etiam ab alia materia

& ipsa Capitis, haudquaquam tamen maligna, nempè insulsa, frigidaq;& humida, quam Cerebrum frigidum & humidum sæpè congerit, & ad subiecta membra protrudit, præsertim spiritalia, in quibus vehementem ac perennem Tussim excitando, distentionis, & consequenter ruptionis vasorum quæ illa perreptant, non obscura causa efficitur. Qui nam ergò curandi scopi, seu quæ nam indicationes haberi antè oculos debent? Dicebat Gal. 5. Meth. 2. præcipuum scopum consistere in sanguinis retentione, & consequenter in symptomatis sedatione, quod quidem tantum ac tale interdum consequitur periculum, vt cogat Medicum, relictis indicationibus à morbo suppeditatis, illi soli incumbere. Verùm quia malum hoc symptoma est secundarium, sicut Catarrhus, & alia nonnulla, quæ sanè per se nullam habent curationis indicationem, ideò curationem indicabunt ipsi morbi, qui symptomatum causa esse solent. Quamobrem quia pluribus nominibus sanguis exit, diuersisq; causis, propterea quoad sanguinem, pro varietate vitij proprij, varia ipse solet indicare: nam si copiosus, postulat imminutionem, si calidus, refrigerationem, si tenuis, incrassationem, & quoniam denique motu peccat, reuellentia, deriuantia, ac intercipientia ex vsu fore indicat. Quantum verò ad causas, audiamus eundem Gal. 7. catat. 4. ab initio ità loquentem: In sanguinis profluuio præcipuum est periculum, ne fluat immoderatè, & ideò curatio recta postulat, vt si vascula sint reserata, agatur medicamentis astringentibus, si fracta, medicatio instituatur conglutinantibus, sin fluat ob corrosum vas, oportet mederi renutrientibus, & sarcoticis, hoc est, carnem generantibus: Et hæc de indicationibus generatim sumptis, & consideratis, quibus si aliquæ aliæ sunt addendæ, id fiet à me infrà in speciali curatione cuiuscunque causæ huiusce Hæmoptysis. Antequàm ergò ad profluentis sanguinis curationem vos ipsos accingatis, vt recta cum methodo res tota procedat, diligentissimè à vobis antè omnia obseruãdum est, à quo loco sanguis profluat, & quo pacto, hoc est, vtrùm per Diæresim, vel per Anastomosim, vel per Diapedesim. Quomodolibet autem id eueniat, clarum est ab initio accommodatam victus rationem instituendam esse, sine qua frustrà omnis tentaretur curatio, in qua propterea examinanda & ego parumper immorabor, vt eandem cuilibet curandæ differentiæ Hæmo-

mo-

moptyſeos, plus,minuſue adaptare etiam poſſitis. Incipiam autem ab aere,quem Hippoc.4.de Morb. inter tria morborum principia, ſub cæli tamen nomine, collocat, idque facio libenter, non ſolùm, quia primus in ordine ſe ſe offert in ſerie rerum non naturalium appellatarum, ſed quia etiam agitur de curandis morbis Pectoris, & præſertim Pulmonis; pro quorum quidem ſanatione vix dici vnquam poteſt, quantam vim ac energiam habeat qui aſſiduè inſpiratur aer, & in Pulmones indeſinenter attrahitur, vt Medici nullibi magis,quàm in partium ſpiritalium morbis,de congruo,& maximè ſalubri aere inueniendo ſolliciti, ac vigilantes eſſe debeant, quemadmodum veteres illos factitaſſe videmus, qui non modò ad vicina Romæ loca propè Neapolim,dico ad Stabias,vulgò hodie *la Torre del Greco* Hæmoptyſicos mittebant,ſed in valde remotiores regiones, vt in Aegyptum, & Africam. Quod tamen duplici, vt reor, nomine faciebant, nimirùm & vt ſiccioribus illis cælis vterentur,& vt ſimiliter in tam longo itinere per nauigationem faciendo aeris maritimi inſpiratione vlcus ab inflammatione relictum potenter deſiccaretur, ſicque vel vnionem acquireret, vel ſaltem occalleſceret, vitaque quomodolibet prorogaretur. Scimus enim vel teſtimonio Ariſtotelis in Problem.de mare,nauigantium vlcera quæque non ſolùm non putrilaginoſa euadere, ſed quam facillimè præ ſiccitate tum aquę,tum aeris ſaneſcere.Ne dicam marina loca,prę ter lacuſtria, ad diù viuendum plurimum conducere. Siquidem quod eſt humidi natiui minùs conſumitur in humidiore cælo, nec facilè ob ſalſedinem corrumpitur,vt etiam aiũt Cardanus,& Montuus. Trita denique eſt hiſtoria Furnariæ, quæ ob inſpiratum aeris ſiccioris à furno expirantis vlcere Pulmonis callo obducto diutiſſimè vixit. Quod ſanè mirum nulli videbitur, cui conſtet, inter alios Pulmonis vſus, eum non eſſe alijs inferiorem, vt videlicet inſeruiat pro aeris elaboratione;ſiquidem in eo primam ſumit alterationem, illicque concoquitur,& præparatur vi carnis, quæ planè tenuis eſt, mollis, & aerea. Quemadmodum enim cibus qui ingeritur, non niſi per præuias alterationes,quæ in Ore,& præſertim in Ventriculo,ac venis meſeraicis fiunt,in ſanguinis naturã virtute carnis & parenchymatis Iecinoris commutatur(ad cuiuſque etenim nouæ ſubſtantiæ generationem aliqua antecedat præparatio oportet)ità ex-

tra-

traneus aer rudis, & impurus, & de repente irruens minimè fieri potest interioris spiritus conueniens pabulum, nisi paulatim mutetur, & familiarem innato spiritui qualitatem longiuscula interposita mora recipiat. Quare intrà Pulmones, ceu thecam, reconditur, vt inde sensim in Cor deducatur. Quapropter sicuti per esculenta, & potulenta maximè afficiuntur quæ ad totam ventris regionem pertinent, ità per ea, quæ inspirantur, perque varias aeris qualitates, ad bonum, vel ad malum immutantur Pneumatica organa, & Pulmo ipse in primis vnà cũ Corde. Hinc est, quòd Gal. 10. Meth. ad calcem cap. 8. de aere loquẽs tum calido, tum frigido, subiungit: qui præcipuè quidem est vtilis, cùm quod primùm afficitur, ipsum est Cor: & ab initio statim subsequentis Capitis sic ait: Quo facilè apparet etiam Pulmones, vbi scilicet hi sunt, qui primùm patiũtur, plus cæteris omnibus refrigerantem aerem requirere. Vbi Galenus in morbis tã Cordis, quàm Pulmonis manifestè admodum extollit iuuamentum, quod ab aere inspirato magis percipitur, quàm ab alijs rebus. Nam per Pulmonem, quod rarum est viscus, difficile non est, vt tum qualitas aeris, tum etiam substantia ad Cor facilè perueniat, vt ibidem paulò antè scripsit Galenus. Id quod non contingit in affectibus Ventriculi, & multò minùs Iecinoris, cui ex inspirato aere nulla certè vtilitas accedit, à comestis verò, & bibitis minor planè quàm Ventriculo: cæterùm aliqua non obscurè aduenit. Quod ergò vniuersè dixit de nos ambiente aere lib. 9. Meth. cap. 13. eum videlicet esse, sine quo nec tolli morbus, nec teneri sanitas potest, crediderim hoc peculiariter, & maximè intelligendum in morbis Thoracis tam inducendis, quàm arcendis, propter allatas causas. Quamobrem accedamus nunc propiùs ad aeris qualitates, cuiusmodi nimirùm esse debeant in nostra curanda Hæmoptysi. Dictum est suprà aerem & calidum & frigidum obesse, diuersa tamen ratione; illum quidem, quia profluere sanguinem facit, diffundendo ipsum, & attenuando; hunc verò vasa densando, disrumpendoque, nec non interdum molestam Tussim, quæ postmodum dilaniat, inducendo: vnde qui medium quendam locum inter vtrumque aer teneat laudabilior erit. Aurelianus tamen ex quacunque parte sanguis fluat, suadet hominem iacere loco mediocriter frigido, atque etiam obscuro, in quo aer ipse densioris solet esse

sub-

ſubſtantiæ, & ad ſiſtendum ſanguinem valde aptior, quàm qui in claro, & lucido eſt loco, cum lumen & ſplendorem à radijs habeat ſolaribus, qui aerem & locum calefaciunt. Aretæus eligit aerem frigidiorem ad inſpiratum. Crederem ego æſtiuo tempore, & regione calida præparandum eſſe aerem ad frigidiorem qualitatem, quàm tunc temporis eſſe ſoleat; ideoq; cum eodem Aureliano puto conſternenda ſolo folia, vel ramos lentiſci, vitis, ſalicis, mali punici, quercus, & conſimilium, fuſis etiam aquis frigidioribus, & aceto roſaceo, vt cubiculi aer ad frigidum per æſtatem vergat. Imò euaporatio conferet facta ex aceto in quo coxerint ſantalum, roſa, caphura. Hyeme verò vel ſinendum eſſe exiſtimo, vel ſi nimiùm rigidus ſentiatur, temperatum facere opus eſt. In paſſiuis autem qualitatibus ad ſiccum etiam vergere aerem oportere quis non videt? Vnde auſtrina conſtitutio, quæ calida & humida eſt, & ideò valde apta ad effundendum ſanguinem, vitanda illis maximè eſt. Si morbus protrahatur, induciasque præbeat, per longiora interualla tantummodò inuadens, non inutile fortaſsè erit Celſi amplecti mandatum lib. 4. cap. 4. in fine, vbi de Tuſſi agit, ijs præſertim, qui ſub hoc cælo morantur: In hoc caſu per hyemem locis maritimis, per æſtatem mediterraneis opus eſt. Scribebat enim Celſus Romæ, vbi quotidiana experientia comprobatur, Catarrhis obnoxios, Hæmoptoicos, alioſque parùm firma vtentes valetudine, ſi tempore hyemis ad loca mari vicina, velut Antium, vulgò Nettunno, Cornetum, & cætera illius litoris ſe conferant, dum maximè borealis viget conſtitutio, multò melius ſe habere, quia ibi tepidior eſt aer, ſub quo frigoris incommoda fugiunt, nec à tepida qualitate timere poſſunt quod à calida: contrà autem, appropinquante æſtate, loca illa calidiora, humidioraque (ſolo vndequaque humore præmadido) & ab auſtrinis ventis ſæpenumerò perflata relinquentes, ad Oppida montiũ ab ampliſſima planitie inſurgentium demigrant, vbi aer omninò purior, ac frigidior ſpirat. Quo aſtu ſi non integram ſanitatem acquirunt, ſaltem euidẽter vitam à tot ærumnis, & paſſionibus magis liberam protrahunt. Balduinus tamen Ronſſeus in Enarrat. ad Celſi locum miratur admodum, cur in hoc caſu per hyemem locis maritimis, per æſtatem mediterraneis opus eſſe dicat. Nam ſi, inquit, vt libro Problematon ſcribit Ariſtoteles, hyeme

me mare calidius eſt, atque æſtate frigidius, ac proindè neceſſe eſſe, vt ſpiritus omnes maritimi æſtate frigeant, hyeme tepeant: contrà verò æſtate caleat, hyeme frigeat terra, & ſi maritima loca propter tepentem ſpiritum conceſſerimus hyeme, mediterranea certè parùm ex vſu erunt æſtate, ſicut cõclaue calidum, aliaque calida ſuſpecta ſunt. Allatæ autem à nobis experientię adijciatur, quòd Celſus per mediterranea loca non ſimpliciter intelligit à mare remota, ſed montana potiùs, quàm plana. Inibi enim reperiuntur loca collibus circumdata, nemoribus obſita, aquis irrigua, & denique ventis placidis, & iucundis afflata, qualem locum delineat Latinus Homerus 6. Aeneid. dicens:

*Intereà videt Aeneas in valle reducta*
*Seclusum nemus, & virgulta ſonantia ſyluis.*

In quibus ſanè locis ſalubriùs degitur, quàm in maritimis, & alijs magis propriè vocatis mediterraneis. A mari etenim præſtat longo potiùs interuallo quàm breui refugiſſe: quia media ſpacia ſunt grauioris halitus, vt 1. de re ruſtica refert Columella. Celſum verò ſub mediterraneorum locorum nomine iam dicta magis intelligere voluiſſe, nemini, me iudice, dubitandum eſt, quicquid ſenſerit Ronſſeus. Reliqua audietis in ſubſequenti Sermone.

---

*De eodem Diætetico inſtrumento; Vbi vera affertur ratio, cur Hæmoptyſicis interdicitur intuitus rerum rubearum, & cur Hippoc. dicit, ea, quæ videntur & audiuntur, concalefacere humores & corpus, quando viſus & auditus non extenduntur ad qualitates primas tangibiles, quæ ſunt obiectum ſenſus tactus. Quæ cibandi ratio inſtitui debeat tam ineunte, quàm progreſſo iam morbo; Vbi Hippoc. locus 2. Epidem. de Ieiunio, & Lactis vſu in Hæmoptyſi illuſtratur, ac de Suilla carne, & Lacte quædam nõ iniucunda, nec inutilia adducuntur, ſicut de Potu vario agitur, maximè verò de vſu Vini, & Aceti, & hic Celſi opinio de Dulci vino defenditur, ſicuti, an Cibi Potuſque actu vehementer frigefacti, dico, niue, aut glacie, conueniant, diſquiritur. Quo in loco Hippocratis, Galeni, Aetij, & Celſi verba, ſeu loca explanantur.*

## Lectio, siue Cap. X.

PRAETER ea, quæ suprà dixi de aere, & locis Hæmoptoicis cõuenientibus, nescio quę alia minimè contemnenda supersunt, quæ nunc primùm expendam, antequàm ad reliqua sub Diæta comprehensa me conferam. Dicebam itaq; detineri debere Hæmoptysicos in cubili frigidiore, & subobscuro, propter causas iam explicitas. Qua in re vnum occurrit explicatione dignum, & est, quòd Auicenna cap. de cura Sputi sanguinis, postquàm scripsit custodiri ęgros oportere ab omnibus causis mouentibus sanguinem, inter quas refert cibos calefacientes, saltum, clamorem, rixam, coitum, anhelitum altum, & locutionem plurimam, addit pariter aspectum rerum rubearum; quod etiam multò ante Auicennam, imò & ante Galenum scriptis mandauit Cælius Aurelianus. Vnde Medici omnes in praxi exercenda ab intuitu rerum rubearũ Hæmoptysicos arcent, quasi aspectus ille spiritus, ac tenuiorem sanguinem mouere, & agitare valeat; Ideò visitās ego olim nobilem virũ Hæmoptoicum mense Maio, alteri Medico, docto quidem alioquin, acutiq; ingenij, florentes multas, & odoratas valdè rosas rubeas manu tenenti, vt æger propè decumbens non solùm eas videre, sed vaporosam quoque earum substantiam inspirare facilè posset, subridens liberè dixi; Nec Hystericis cum odoratis chirotecis, nec Hæmoptoicis cum tot rosis rubris esse appropinquandum. Causam autem ferè omnes referunt in imaginationem à colore illo permotam, & quæ posteà florem sanguinis prouocet; fortassè quia creditur hæc in spiritus & humores quoddam velut imperium habere. Meherclè in coloribus aliquam inesse actionem ad alteranda corpora, credebant vel antiquissimi Medici, qui ob id consulebant in Icteritia aureos colores continuò aspicere ægrotantes, meminique me olim apud Plutarchum legisse, si quis Regio morbo laborans in auem galbulam oculos intenderit, persanari, ideoque etiam indumentis eiusdem qualitatis ægros operiri mandabant, crędentes eorum colores in tales

abire

abire materias, sicque cutaneum morbum facilè solui posse. Quam tamen sententiam idem Aurelianus lib. 3. Cronic. pass. cap. 5. manifestè damnat, scribens, credibile potiùs esse externa in ægrotum ob malam dispositionem faciliùs transire, quàm quòd ab ægrotante in circumstantes res coloratas fiat transmigratio. Vt vt est, clarè constat antiquiores illos existimasse, colores & omnia quæ videntur apta nata esse ad immutanda corpora nostra. Quin imò Hippoc. lib. 1. de Morb. visa & audita tantæ esse actiuitatis ait, vt ad calidum, & ad frigidum humores ipsos commutent. Verùm quia sensibilia quæque in proprium agunt sensorium, nec extenduntur ad alios sensus, nullaque potentia ferri solet extrà proprium obiectum, vt est communis Philosophorum sententia, vnde visa, & audita, seu color, aut lumen, quæ sunt visiuæ potentiæ obiectum, quemadmodum sonus, qui obiectum est auditoriæ facultatis, non videntur posse qualitates calidas, aut frigidas, quæ pro obiecto sunt tactoriæ virtutis, seu sensus tactus, vel introducere, vel augere, sed agere solummodo in organa visus, & auditus, ad quas videndi atque audiendi potentias illa tamquam obiecta propria spectant, & ad earundem instrumenta, idcircò sciatis quæcunque visui, & auditui offeruntur, per accidens tantùm vim talem habere, quatenùs aliquem animi inducunt affectum, per quem corpora, humoresque vel incalescunt, vel frigefiunt. Quare ne longiùs à casu nostro abscedamus, cur aspectus rerum rubearum Hæmorrhagiam quamlibet adauget, non tam puto referendum in abditam imaginatricis facultatis energiam, quàm in euidentem quandam animi molestiam impensè adauctam ex intuitu rei, quæ symbolum, seu analogiam habet cum propria passione. Inde enim quasi excandescentes, & quadam velut ira succensi patientes in nescio quem sanguinis, & spirituum feruorem incurrunt, indeque rursùs in cruentam effusionem, quam contrà non ignoramus facilè supprimi, & cohiberi, si ea vel videantur, vel audiantur, quæ mœrorem inducunt, vtpotè quæ spiritus, & sanguinem conculcando, ac minuendo, vniuersum corpus refrigerant, ac sanguinem ipsum immobilem reddunt. Vnde Galeni præceptum est 5. Meth. ad nimium sanguinis fluorem sistendum ex vsu esse, si animi deliquium per triste nuntium inducatur; Quod tamen præceptum infrà quoquo pacto suspectum mihi esse audietis.

tis.

tis. Quamobrem ergò rubearum rerum intuitus, vel aſpectus prohibendus ſit Hæmoptyſicis, abundè hucuſque, ni fallor, explicatum eſt. Nunc itaque ad alia deſcendamus, quæ aeri ſuccedunt, nempè ad cibum, & potum; in quibus hoc generatim dixero, cum malum, de quo agitur, grauiſſimum ſit, & acutiſſimum, à quo proptereà extrema ſtatim inducuntur ſymptomata, videlicet aut mors ipſa, ex nimia ſanguinis profuſione, aut ſubita ſtrangulatione, vel inflammatio partis laniatæ, cui febris, & inſanabile vlcus ſuccedunt, idcircò per initia ſummè tenui victu vtendū eſt, & auara manu danda ſorbitio, imò dùm vrget ſymptoma, & quouſque ceſſet, ſæpiùs integram inediam ſeruare expedit. Vnde hic audet Aurelianus triduanam inediam præſcribere. Non enim augendus eſt ſanguis hoc in caſu, ſed potiùs imminuendus, vt natura facta ex parſimonia auarior ſanguinem intùs contineat. Prætereà nec largior, nec frequentior conuenit cibus, quoniam, vt idem inquit Aurelianus, neceſſe eſt, vt altiora, quorum eſt officium accepta digerere, immobilia perſeuerent. Omnis etenim ciborum appropinquatio motu quodam perficitur: vnde agglutinatio differri ſolet. Neceſſaria ideò in eo ſunt quies, ſecuritas, & ſilentium, auctore Celſo. Quæ omnia & ſingula mente ſua voluens diuinus Senex 2. Epid. Sect. 5. t. 12. pro ſiſtendo ſanguine ſpontè ab interna cauſa multùm fluente, ieiunium imperat, reſpiciens nimirùm ad Plethoram fluoris ſanguinis cauſam; nam tunc inedia, cùm euacuatio quædam ſit, plurimùm prodeſt fluxioni ſedandæ atque ſiſtendæ. Quòd ſi ob virium imbecillitatem ex continuata ſanguinis, & ſpirituum exinanitione, ſtatim nutrire ſit opus, ſorbitionibus vti magis debemus, quàm cibis ſolidis, vt nulla fiat in maſticando commotio, quæ tamen etiam medicamenti vim in ſe contineant, qualis alica eſt, vel ptiſſana, quæ à Galeno tantoperè celebrātur. Vnde & Trallianus iubebat omnem cibum debere vim mediocrem obturādi, ac leuiter aſtringendi habere, & neque quidpiam calidum offerri; nam calor sāguinem euocat, ſed omnia potiùs temperata, & ad frigidius declinantia, etiam actu, licet non vehementer, vt ſcribit Aetius lib. 8. cap. 62. quidquid alij contrà in medendo operentur, de quibus infrà, & ad ſiccum magis, quàm ad humidum vergentia. Cibi itaque frumentacei ſint, quemadmodum Aegineta cum cæteris Medicis exiſtimat,

inter quos vſurpentur etiam magis craſſiores & glutinoſi, ſed ſorbiles potiſſimùm, vt paulò ante dicebam: propterea commendantur in primis ptiſſana, & eius cremor, alica lota, frumentaceum amylum, farina triticea, pultis inſtar, ſeu glutinis modo elixa, ſi aſtringens aliquod vnà cum ipſis fuerit decoctum, aut eorundem ſuccus adiectus ſit, vt palmulæ, aut malum cydoneum, aut pyrum auſterum, aut mali punici grana, ribesque, & ſimilia, animaduertendo, vt hæc, & alia incoquantur in aqua pluuiali, quæ ſi chalybeata ſit, magis etiam ex vſu erit. Fercula ex farre in lacte cocto, vnà cum malicorio celebrantur. Lens apud Aretæum, profluuio ſanguinis vrgente, cum Plantaginis ſucco præbetur. Quid ſi coquatur hoc edulium in aqua, vel iuſculo, in quo præbullita fuerit conuenienti in copia plantago ipſa, imò & portulaca ſimul? Ità enim euitabitur quod ſubiungit Aretæus, Plantaginis ſuccum nec concoctu facilem, nec guſtatui eſſe iucundum. Panis commendatur ſine fermento, & ſine ſale; quique maza dicitur, hoc eſt, hordeaceus, haud inutilis eſſet; viteturque tamquam venena aromata quæque, ſalſamenta, acriaque omnia, atque ſalita. Inter carnes laudantur ex volantibus non pinguibus, vt ſunt pectora turdorum, aut pullorum matrem ſequentium. Item columbarum, aut phaſianorum, aut attagenarum, aut perdicum, quarum pectora erunt myrto penetranda. Capreolorum, & Leporum carnes, vt putà ſicciores magnoperè iuuant: ſed ad incraſſandum ſanguinem probantur quoque inteſtina, cerebella, pedes vitulorum, & porcellorum, quemadmodum auriculæ, & roſtra, quæ viſcidum & craſſum alimentum efficiunt; quibus gallorum teſticulos potiſſimùm aſſatos addere poſſumus. Suilla caro à multis hoc in loco celebratur, vbi videlicet tranſactis primis diebus, pleniùs alendum eſſe vires quaſi collapſæ, & non vulgari reſtauratione indigentes, omninò indicant. Siquidem volebat Hippoc. 6. Epid. com. 3. vbi nimia vacuatio virtutem diſſoluerit, cum corporis habitus exhalatione, ſuillas carnes aſſas offerendas eſſe. Quæ propterea caro noſtro in caſu conuenire poſt ſeptimam diem poſſe videtur, perſeuerante ſanguinis cruore, à quo de virium lapſu ingens metus ſit, quòd multùm nutriat, & aſſata, quòd ſolidam atque in tumorem exiguum coactam non humidam, neque excellenter humidam efficiat carnem, vt in illius loci explicatio-

catione nos Galenus docet. Vnde minimè fabulosa fortasse est historia quæ habetur apud Suidam Philosophi cuiusdam Hæmoptoici, cui Oraculum de medicina cõsulenti responsum datum, vt Suilla vesceretur carne. Qui quidem quotiescumque illa vtebatur, sanguinem minimè reijciebat; vbi eam dimittebat, statim fluore tentabatur. In iusculis semina papaueris, & rhois culinarij in panno lineo raro ligata inijci iubeatis. Ouorum gallinarum lutea summoperè laudant Cellsus, & Trallianus, imò si mandere liceat, proderunt oua integra ex aceto ad duritiem cocta. Verùm quid de lactis vsu? Sanè Galenus, Trallianus, & cæteri Medici valde celebrant lac in hoc mali genere, referuntque historias Hæmoptoicorum, qui solo vsu lactis sanitatem adepti sunt. Quidam, inquit Trallianus, toto anno à vino abstinuit, solo lacte contentus, cui interdum farinam incoquebat; euasit, cum etiam pus excerneret. Quod quidem lac præsertim caprillum, post euacuationes, & Pectoris expurgationẽ, tam pro cibo, quàm pro medicamento conuenire videtur, ad vlceris absterSionem, repletionem, & ad humores contemperandos, præcipuè si animal, à cuius vberibus emulgendum lac est, nutritum aliquandiù fuerit herbis, & fruticibus refrigerãtibus & astringentibus, cuiusmodi sunt in Stabiensi colle, qui inter Surrentum & Neapolim conspicitur, vti lotus, & polygonon, & melyssophyllon, nec non lentiscus, & arbutus, & rubus, & hedera, & cytissus, alijque his similes vigent. Sed vbi hæc non ità ad manũ erunt, vtendum lacte caprillo chalybeato, quod sanguinem crassiorem reddit, & siccam intemperiem moderatè castigat, vnaq; madentes nimiùm Pulmones quoquo pacto siccat, & pariter abstergit. Sit autem Chalybs sæpè anteà ignitus, quod censent Iatrochymici, vt Sulphuris atque Mercurij facultates acres, referantesque tali pacto amittat. Aretæus dabat far tyrrhenum cum lacte, crassum cum sit, viscidum & glutinosum, nec non milium in lacte decoctum. Iuxtà hoc recens caseus, salisque expers concedi vtiliter potest. Hippocrates loco superiùs adducto ex 2. Epid. Sect. 5. patienti fluorem sanguinis, non à Plethora, in qua ieiunium potiùs commendat, sed à qualitate acri, quo in casu opus est cibis epicerasticis, attemperantibusue, dari iubet duas aquæ, & quatuor lactis, aut vnam aquæ, & duas lactis partes. E piscibus verò censentur optimi qui gluti-

nosi, quales chartilaginei omnes, eo quòd multum nutrire valeant, ac sanguinem refrigerare & incrassare; nec timenda est eorum durities ex eo, quòd scribit Aretæus Hæmoptysicis mimimè omnium ægrè concoctilia danda esse, quoniam si elixentur, ab elixatione hoc recipiunt, vt duritiem deponant, & aptiores nutritioni euadant. Ideò Aurelianus cochleas offert, alij testudines, alij polypos, quòd habeant glutinis quiddam naturalis, & compaginandi virtutem. Trallianus verò etiam laudat pisces saxatiles aceto inter coquendum adiecto. Ex oleribus Medici omnes magni faciunt portulacam siue decoctam, siue etiam crudam, tusamque in Ore frequenter detentam, cuius præsertim succus sistendo sanguini efficacissimus est; Lactucam prætereà, endiuiam, plantaginem, oxalidem, maluæ germina seu asparagos, vuam immaturam, cucurbitas, & earum semina. Ex fructibus horarijs, seu fugacibus, ac mollioris corticis, concedantur qui modicè astringunt, vt mora, cerasa acidiuscula, ac vua pensilis cum Tralliano, præsertim si ægri siticulosi sint, quibus ob id etiam concedebat pepones, & cucumerum medullam: sorba, mespila, mala quæque, & præcipuè decocta recenti mulso; pyra, corni fructus, & mala cydonia, & inter hæc, illa maximè, non quæ struthia Galenus vocat, dulciora, maioraque, sed minora, quæ admodùm acerba sunt. Damnat Trallianus mala punica, seu granata, sed alij commendant, quemadmodum & arantia dicta, quæcunque acida fuerint. Timet forsitan nimiam aciditatem vt Pectori infensam, ac tussiculam prouocantem, quemadmodum & in aceto facit. Idem licet vuam pensilem, hoc est, rugatam ab aere probet, attamen damnat passam, & ficus, pistacia, amygdalas, & nucleos pineos. Sunt qui castaneas molles cupientibus facilè permittant, sicut & ego libentiùs adhùc concesserim, si priùs ad ignem siccatæ, deinceps lacte optimo emollitæ, ac decoctæ fuerint: quo edulij genere pastores, vt audio, non infrequenter vtuntur. Vnde fortasse Maro:

*Castaneæ molles, & pressi copia lactis.*

Quoad potum, iam dixi ex Aretæo debere esse parcissimum, quia sicco victui, qualis hìc institui debet, humor inutilis est. Hinc & Celsus lib.4. cap. de Tussi, & Sputo sang. ait; sic bibendum erit, vt sciamus huic morbo sitim prodesse. Ab initio itaque potio, secundum

dum Auicennam, sit pluuialis aquæ, aut, si non pluuialis, saltem sit ferrata vulgo dicta, quòd si tam huic, quàm illi adijciantur rosæ, aut bolus, aut hæmatites, maioris erit efficaciæ potus. Styptica enim sunt. Non desunt qui addant hydrorosatum, qui est syrupus rosatus, aliter iulep Alexandrinum; alij vna concedunt vinum cydoniorum, aut granatorum. Aqua hordei vstulati decoctionis cancrorum aquæ dulcis à Mesue proponitur. Quidnam autem de vino censedum? Ab initio morbi, & fluore sanguinis perseuerante, cum timore phlegmonis & febris, puto esse penitus interdicendum vinum, quantumuis pauciferum, quia curationi plurimùm aduersatur calefaciendo, rarefaciendo, & aperiendo. Verùm, si, vt non rarò cernitur, Lipothymia, & Syncope repentè suboriantur, metusue sit de impendente virium collapsu, morbo vlteriùs sæuiente, in natura debiliori, maximè verò etiam si nōdum febris superuenerit, existimo cum Paulo, & alijs oligophoron, seu pauciferum vinum haud esse denegandum, quod videlicet prosit ratione virtutis, nec noceat ratione rerum præter naturam. Sed cuiusnam erit generis? Rubeum in primis potiùs, quàm album, illudque crassiusculum & austerum, nec nō copiosa aqua chalybeata dilutum. Celsus laudat vinum dulce, & aquam frigidam. Super qua re, nimirùm tam super vino dulci, quàm super aqua frigida aliquantisper immoremur, cum non sit festinanti cursu transeunda, vtpotè magnæ considerationis, & in qua sæpè Medici illi à vulgo & indoctis malè vocati Practici, cum reuera potiùs dicendi sint Pragmatici, Dogmaticis infensi, inter se altercantur. Sunt igitur, vt à postrema exordiar, qui tam potus, quàm cibos liquidos, aut sorbitiones niue, seu glacie frigefactas in qualibet Hæmoptysi etiam in hac, de qua nos potissimùm agimus, quæ à Pectore, & Pulmone dependet, constanter imperant, ità magis cruoris impetum compesci autumantes, quorum tamen opinioni non temerè adhærendum est, quippè quia amplè patet frigidum vocari ab Hippocr. φλεβῶν ῥηκτικόν venarum ruptorium, Pectorisque partibus, &, præsertim si laceræ iam sint, valdè inimicum. Addo nec talia conuenire in Sputo illius sanguinis qui absque Pectoris læsione in eius cauum è Capite cecidit, cum valdè refrigerantium vsu intrà sinuosum Pectus, & foraminulentos Pulmonum loculos sanguis ipse magis impingatur, crassefiat, inque

 throm-

thrombos ſeu grumos faciliùs conuertatur, quos potiùs attenuare, ac diſſoluere expedit, imò & extraducere oportet detergentium ac moderatè calefacientium vſu, tametſi è Pulmonum vaſis proſiliret cruor, quantò magis cùm à Capite, quo in caſu nullum imminet de vaſorum Pectoris apertione periculum, contrà verò maximùm ex valdè refrigerantibus, intùs ſanguine coacto, magisque craſſefacto. Ideò probatur admodùm mihi ſententia Aetij loco ſuperiùs adducto, in quo damnat tum cibos, tum potus vehementer actu frigidos, cuiuſmodi ſunt niue, aut glacie frigefacti. Affert autem rationem, cùm ſubiungit; Ex vehementi enim frigiditate plagæ inferuntur. Quare ſuffecerit, ſi non calidi exiſtant, vt idem ait, & licet de ijs ibi tantùm loqui videatur, qui ex vētre per vomitum, ac citrà Tuſſim ſanguinem reiectant, attamen quæ ab eo adducitur ratio plagæ aut ruptionis cæteris quoque profluuijs ſanguinis aliunde manantibus competit, & cum Hippocratica auctoritate conſentit. Celſus verò laudat aquam frigidam, ideſt, non calidam, quòd potus & vini, & aquæ calidus tunc frequenti eſſet in vſu, ideòque ſimpliciter frigidam, ac naturaliter talem, non autem niue glacieue algefactam. Atqui potum moderatè frigidum in Hæmoptoide præſente commendant omnes, ſicut contrà cibum ſiue actu, ſiue potentia calefactorium magnoperè damnandum cenſeo. Sed vtrumque actu impensè frigidum offerre ſanguinem ſpuentibus cùm ex alijs partibus, tum maximè ex Pectore, ſeu id contingat idiopathicè, ſeu ſimpathicè, citrà rationem factum iudico. Cui rei ſi interdùm malus non reſpondet euentus, fortuitò, non prudenter inſtituto conſilio acceptum id referendum eſt, perinde ferè ac ſi Pharmaco propinato deiectorio, è renibus ac veſica trudatur calculus. An non clara eſt Hippoc. doctrina Lib. Aphor. 5. Aphor. 24. Frigida, velut nix & glacies, Pectori inimica ſunt, Tuſſes mouent, ſanguinem copioſè promanare faciunt, & deſtillationes excitant? Vbi cùm Hippoc. ait, ſicut nix & glacies, idem prorsùs vult, ac ſi dixiſſet, impensè frigida. Ambo enim ſunt elementari aqua gelidiora, ob corporis denſitatem, in qua naturalis frigiditas aquæ magis intenditur, vt ex aduerſo intēſior percipitur caliditas in ferro ignito, quàm in aqua quantumuis ferueſcente; Ideò 6. Epidem. Sect. 3. tex. 10. pro verbis illis, qualis glacies aut nix, ſcripſit πάνυ ψυχρὸν,

ideſt,

ideſt, valdè frigidum, quod meritò venarum fractorium appellatur; Quippè frigus corpora venarum constringens & contrahens, frigiditateq; ſua tunicas earundem durans ac extendi contumaces reddens, promptè illas diſrumpit, vt fusè monſtrat Gal. lib. 4. de Loc. affect. cap. vltimo. An verò contrarius huic ſermoni ſit antecedens Aphoriſmus; In ijs frigida vti oportet, vnde ſanguis copiosè profluit, aut fluxurus eſt, qui cõtrà cenſent & operantur, maturiùs conſiderent, & vtrùm par ſemper ratio ſit de fotu ac potu, velut de aqua ſimpliciter, & iuxtà ſui naturam frigida, de qua antè prout calidæ obijcitur, & de frigida, vt nix, vel glacies, hoc eſt, ſummè algida, de qua eſt dubitatio, & quam fatentur omnes Pectoris partibus quantumuis ſanis & robuſtis, tantò magis actu afflictis ac laborantibus infenſiſſimam eſſe. In præcipiti tamen periculo, in quo multa fiunt aliàs omittenda, quia melior eſt læſio quàm mors, vt rectiſſimè nos docet Celſus, nimisque profusè manante ſanguine, vt ab omnibus timeatur, ne æger vitam ipſam cum ſanguine fundat, quacunque è profunda corporis parte proſiliat cruor, vbi priùs ad contraria reuulſiones, & ad vicina deriuationes peractæ fuerint, ad refrigerationem tum corporis totius, tum verò præcipuè ipſius malè affectæ particulæ, crediderim aquam actu etiam gelidam bibitam Hæmorrhagiam poſſe ſupprimere, ſicut idem quoque facit & frigida foris in fotu adfuſa, vt colligitur ex Galeno 5. Meth. 5. A qua tamen ſtatim, ſedato profluuio, abſtinendum propter allatas rationes, præſertim cum à Pectore, aut Pulmone ſeu primariò, ſeu ſecundariò effluxit, quorum in ſinubus reliquus ſanguis extrà vaſa grumeſcens è diametro oppoſita remedia poſtulat, nempè extenuantia ac diſſoluentia, vt quicunque Medici hoc etiam tempore cibos potusq; frigefactos exhibent nulla mihi laude digni videri poſſint, qui ſi ad mutationem per contraria nolunt deſcendere, timentes Hæmorrhagiæ repetitionem, & morbi, qui facilè recurrit, quique maligno eſt præditus ingenio, vt notat Aretæus, exacerbationem, ſaltem ſe à manifeſtè lædere ſolitis abſtineant, nec ea mordicùs, ac pertinaciùs imperent, quæ ab alijs validè & rationabiliter oppugnantur. Sed in noſtra hæc vſque ſecula Plinianum illud extenſum eſt; Nemine idem cenſente, ne videatur aſſertio alteriùs. At quomodo ex mente Celſi vinum competit dulce, ſi hoc in caſu

omnia requiruntur adstringentia, quæ in frigida & sicca, penitùsque terrestri substantia sedem habent, non autem in materia, in qua humiditas siccitatem antecellit, vt obtinent dulcia quæque? Fit enim sapor dulcis ex terrena siccaque, nec non humida, aqueaue substantia vi caloris moderati exactè concocta ac temperata, humida autem paulò vberiori; nempè, vt Gal. 4. de Simpl. med. facult. cap. 19. annotauit, dulce vt humidum sit oportet; præterquàm quòd dulce vinum amplè nimis Pulmonem dilatare creditur. Addo quòd cum Celsus extollit vinum dulce hoc in morbo, oblitus esse videtur illius doctrinæ, quam tradit lib. 5. cap. 19. pro sistendo sanguine quacunque è parte excernatur. Tunc enim damnat oleaginea quæuis & pinguia. Vinum verò dulce pinguis substantiæ expers non est, cum dulcia similiter pinguia esse dicantur ab Aristot. lib. 4. Meteor. cap. 9. Hinc etiam sub nomine pinguium non modo vnctuosa, verùm quoque dulcia, & quæ prorsùs naturaliter se habentibus suauia sunt, comprehendi solent, auctore Galeno 6. Epid. Sect. 5. com. 14. Fortàsse vinum dulce sua crassitie non improbandum; nam quod dulce & pingue est, crassi etiam ac lenti succi esse solet, vnde pariter creditur facilè obstruere; quod tamen aqua multa temperatum sit, remissionis caloris gratia. Sed si vinum dulce, vt pingue & crassum, confert, cur non item emplastra illa Celsi, si ex dulcibus & pinguibus concinnentur? An verò etiam vinum dulce proponit ille Auctor, quia à contrario, dico, vel acido, vel austero vino titillationem, indeque Tussim veretur? Quid si tandem diceretur Celsum intelligere non de quouis dulci vino simpliciter, & albo, quo nos communiter vtimur, sed de quodam peculiari tam Romanis, quàm Græcis olim vsitatissimo? Nullum enim vinum dulce album censuit Gal. lib. de Cib. boni & mali succi; Quod quidem vinum non modo ab expressis statim vuis parabatur, sed crassius reddebatur expositum vel Soli, vel igni, vt sic & crassius fieret, & sæpæ instar nigresceret, quale ad ebrietatem inducendam minùs idoneum censet in Prob. Aristoteles, imò quodam in Prob. docet tale vinum dulce quandam esse medicinam ad arcendam ebrietatem, si meraco superbibatur, quia nimirùm crassitie, & lentore quodam vini dulcis quoquo pacto reprimuntur vapores sursum ex mero præassumpto vino iam efferri incipientes. Iuxtà quam rationem

censuit

censuit fortasse Celsus huiusmodi vinum vtiliter offerri posse Hæmoptoicis. Nos autem nigrum, aut intensè rubrum dulce haud inutiliter vsurpare possemus. De aceto quid dicendum? Alij enim è veteribus damnant, quòd acri sua qualitate, Tussisque promotione Hæmoptysicos lædere valeat, alij contrà commendant, quòd fluorem sanguinis compescat, siccando & modicè astringendo, vt ex eo patet, quòd in externis vulneribus densitatem, & agglutinationē perficere sit approbatum. Vnde Aurelianus hoc in casu acetum maximè prodesse affirmat, qui etiam sincerum dat Ore continendum, vel gargarizandum, dummodò ex vicinis gutturis partibus non veniat fluor. Tunc enim sine vllo percussu retineri tantùm debet, vt etiam Celsus præcipit in sanguinis exitu ab Ore, vel sorbendum, posthabito quorundam metu, qui id asperum, proindeque Tussiculam commouens atque fluorem, dixerunt: siquidem gelatum etiam sanguinem soluat. Cui obiectioni idem respondet Tussim non mouere, nisi iugiter & immodicè datum fuerit. Placet mihi tamen magis opinio Tralliani censentis conuenire quidem acetum Hæmoptoicis, sed minimè acre multùm, ac in eo profluuio, quod per Diaurosim, aut corroso vase non oritur. Ideò in Posca præparanda ad grummosum sanguinem dissoluendum, magnam aquæ partem adhibent, vt illa maximè diluta euadat, ac citrà vllam mordicationem bibi cum vtilitate possit. Quantum ad Somnum, atque Vigiliam, notum est omnibus ad quemlibet immoderatum fluorem cohibendum, si excipiatur sudor, maximoperè conducere somnum. Animaduertendum tamen est, quando Plethoræ occasione fit sanguinis fluor, priùs quàm depleta fuerint vasa, digerentes vigilias magis conferre. Præctereà somnus interdùm quidem prouocandus in Hæmoptysicis, sed non ità tamen, vt diù altè dormiant, ob sanguinis coagulationem in bronchijs, vnde posteà non nisi multa Tussi educi potest. Lectum immobile sit, vt nullo modo quatiatur æger, quia concussiones malum irritant, & exasperant. Stratum etiam solidum sit, non multùm cedens, neque profundum, & minimè calidum. Caput autem cubantis sublime esse debet, inquit Celsus; quod de vera, præsentique Hæmoptysi intelligendum est. Nam si sanguis à Capite fluat, dormiendum potiùs est humili, quàm eleuato Capite, vt in Catarrho abundè ostensum est. Licet

contrarium ſentire videatur Rubeus in ſuis Annot. ád Celſi locum iam adductum lib. 4. cap. 4. Tandem Rhaſes præcipit, & rectè, ne pronè dormiant ægri, ſed ſupinè. Omnis corporis motus magnoperè vitandus eſt, & imperanda vndiquaque cum ſilentio quies, quam Gal. 5. Meth. 8. tanti facit, vt vel magnam & frequentem reſpirationem damnet, iubeatque ægros ſenſim reſpirare, ſemperque ſilentium agere, & in omni prorsùs tranquillitate vitam ducere. Hinc propterea etiam animi pathemata longè ableganda, quæ humores agitare, & commouere creduntur, tanquam venti mare: inter quæ ira grauiſſimè nocet, ſicuti & mœror inſignis, quo Ariſtobulus, perempto Fratre Antigono, adeò perculſus fuit, vt ſputum reijceret mero dilutum ſanguine, auctore Salamone Alberto in Oratione de Sudore cruento apud Schenkium in Hæmoptyſi. Quam tamen hiſtoriam diffusè narratam legere eſt apud Ioſephum 13. Antiquit. de qua etiam nos ſuprà. Abſtinendum penitùs à concubitu, & crapulis, & vitãda alui ſtypticitas, quam mollioribus enematis ex ſola decoctione hordei, foliorum lactucæ, & maluæ, cum oleo violaceo, ac ſaccharo rubeo prohibere Medicus poterit.

---

*De Curatione Hæmoptyſis ortæ nomine conſenſus à Capite, è quo ſanguis ad Pectoris intima demittitur, idque per Chirurgiam, & Pharmaciam. Vbi Aſclepiadis ſententia aduersùs ligaturas reijcitur, & Aretæus, dum non dolorificas eſſe vult, defenditur. Lotio pedum calida, & animi deliquium de Galeni, & aliorum mente inducendum, Auctori cur non placent in hac curatione. Narcotica verò dicta cur interdum conferant, nonnullorum obiectione diſcuſſa, & Montani opinione de non exhibẽdo Philonio minimè approbata. Adſtringentium vſus in Fluore ſanguinis à Capite ad Pectus quando competit, & quando non, deque recta talium auxiliorum adminiſtratione, iuxtà Aetij, Rondeletijq; doctrinam.*

Le-

## Lectio, siue Cap. XI.

A Diætetico fonte in vniuersum lustrato, ad Chirurgicum, & Pharmaceuticum magis specialiter nũc mihi deueniendum est, in quibus tamen non obscura reperitur diuersitas, pro varietate causarum, & præcipuè locorum, vnde primò sanguis excernitur. Quare cum suprà ostenderim vobis aliquandò sanguinem de Capite descendere in Pulmones, ac sinum Thoracis, atque inde excludi tussiendo etiam spumosum, tanquàm si de Pulmone ipso procederet, idque dixerim, vtplurimùm, absque vllo vitæ discrimine contingere, nihilominùs tamen quia interdùm fieri solet, vt huiusmodi sanguis, ex longiori mora in Pectoris partibus facta, putridam, ac exedentem qualitatem nanciscatur, talisque postmodùm spongiosæ Pulmonum carni intimiùs infigatur, & hac ratione tum vasa, tum viscus proprium vitiare, & corrodere possit, sicque Sputum sanguinis, quod re vera ab initio à Capite ortum traxit, in hanc propriè vocatam Hæmoptysim demigret, atque degeneret, propterea, antequàm me conferam ad cruenti Sputi verè à Pulmonibus exorti curationem, decreui parumper immorari in hoc symptomate sedando à Capite primum nimis repleto, vel etiam calidiori sanguine prædito proueniente, & mox quoque duo verba adijciam de alio fluore inhibendo in mulieribus, consentientis Vteri gratia. Verùm priùs quàm Sputi huius sanguinolenti remedia enarremus, ne temerè ac festinãter nimis huiusmodi fluor cohibeatur, quando ille sæpiùs pro auxilio est multorum in Capite affectuum, diligenter & accuratè animaduertite, vtrùm curatione indigeat, vel ne. Curari autem debet, eiusdemque progressio impedienda, quando ità largè effunditur sanguis, vt de virium exsolutione timeatur, vel quando in Pectus ità decumbit, vt periculum sit, ne, eo putrescente, Pulmones quoque in consensum ducantur, atque exulcerentur. Ob id enim & ego nunc illius curationem vobis tradere constitui: quæ quidem iuxtà communem suprà expositam methodum ità fieri debet, vt sanguis ad Pectoris partes non feratur, & vt locus apertus, per quem fluit, quantocyus claudatur.

Ideò

Ideò confugiendum ad communia immoderatæ vacuationis auxilia, quæ ſunt reuulſio, & deriuatio, nec non ad ea, quæ animi deliquium inducunt,& denique ad refrigerantia & aſtringentia. Quamprimùm igitur deuenire oportet ad omne genus auerſionis, & ad illam præſertim, quæ fit per reuulſiones varias, nimirùm per aſperiorem extremorum frictionem, ac tenaciorem articulorum ligaturam,vt ſanguinis curſus in contrarias partes auertatur. Ità namque faciendum cenſent Medici omnes tam veteres, quàm recentiores, ſi vnum excipiamus Aſclepiadem. Vnde Celſus libro & capite ſæpè citatis poſtquàm tradidit, Eraſiſtratum Hæmoptoicorum crura quoque &femora, brachiaque pluribus locis deligaſſe, ſubnectit: Id Aſclepiades adeò non prodeſſe, vt etiam inimicum eſſe, propoſuit. Rationes autem illius,quem & Scribonius Largus ſequi voluit, refelluntur à Mercuriali, & multò magis ab experientia ipſa, quæ, per Celſum, vbi teſtimonium præbet medicinæ, tunc abijciendæ ſunt rationes. Cum enim, auctore Auicenna, aliud ratio, aliud experientia indicat, vni tum experientiæ innitendum. Quare idem Celſus: Sed id, inquit, commodè reſpondere experimenta teſtantur. Aſclepiades autem libro Paraſceuaſticon deligaturas vituperabat, tamquàm materiam imprimerent, & coercendo in altum reuocarent, minimè conſiderans per eas maximùm ægris aferri emolumentum tum diuerſione materiæ, quæ ad locum vinculis arctè deuinctum, ac ideò dolore afflictum promptè confluit, tum quòd denſitatem quandam faciant, ſicuti contendebat Eraſiſtratus. Imperanda ergò ſunt vincula,eaque dolorifica, quò faciliùs ad eam partem confluant humores. Quare in hoc mihi non omninò placet Aretæi conſilium, vt faſcia lata ſit, ne dolorem moueat aſtrictio:niſi pro eo diceretur,dolorem velle moderatum valdè eſſe, ne quædam velut indignatio, aut excandeſcentia inde ægrum inuadens,ſanguinem magis accendat,atque ad exitum per Os commoueat. Enumerans verò loca deliganda Celſus, Neque tamen, ait, pluribus locis deligari neceſſe eſt, ſed ſat eſt infrà inguina,& ſuper talos, ſummosque humeros, etiam brachia. Aretæus verò ipſe ſcribit, ſuccurrendum eſſe extremorum deligaturis, pedum quidem ſuprà malleolos,& genua,manuum verò,ſuprà brachiale, & cubitum. De cenſu horum auxiliorum ſunt clyſteres,ſunt

cucur-

cucurbitulæ tam ſine, quàm cum ſcarificatione; quæ tunc maximè locum habent, cùm æger tenuis, & inops ſanguinis eſt: vicem enim ſupplet phlebotomiæ cucurbitularum frequentia in ſcapulis, ceruice, clunibus, atque femoribus. Non deſunt è Practicis qui proponant pedum lotiones ex aqua calida, quas ego alibi commendaui in deſtillationibus à Capite ad Oeſophagi, ac Pectoris partes, ſed re vera cum de ſanguinis impetu remorando, & exitu præpediendo agitur, ſuſpectæ illæ mihi videntur, ob calidorum vaporum ad ſublimes partes aſcenſum, & calefactum inde aerem per Nares & Os attrahi ſolitum, vnde rectiùs, qui ſcrotum potiùs aqua gelida perfundunt, quique Poſca madentes pannos teſticulis admouent, aſſerentes vndicunque manantem ſanguinem ità efficaciſſimè cohiberi, vniuerſo inde corpore refrigerato. Eam etenim eſſe vim teſticulorum, caſtratio docet. Hinc Meſue ſeſſionem in aqua frigida commendat cap. proprio. Quæ ſi non ſufficiant pro ſymptomate ſedando, illicò deueniatur ad ſanguinis miſſionem per ſectam venam, quæ omninò cephalica ſit, à qua ſanguis ducatur non affatim, & copiosè, ſed potiùs per interualla quædam, & quantitate pauca, nempè duarum, vel trium vnciarum pondere pro vnaquaque vice; plùs, minùſue pro magnitudinis affectus diuerſitate, ac malè affecti corporis natura. Id quod ſua non caret ratione; ſcribit enim Aretæus, & prudenter admodùm, numquam ad Lipothymiã vſque, nec copioſum alioqui ſanguinẽ hoc in caſu mitti debere. Ipſa ſiquidem cruoris per Os effuſio ſatis hominem labefactare poteſt: qui tamen Auctor aſſiduè, poſt paucum detractum ſanguinem, iterùm detrahit, & eodem die, & poſtridie, nec non & perendie. Inſuper & Galenus ità ſanguinem mittendum ſuadet ad reuulſionem fæliciùs celebrandam. Dicebat enim cap. 12. de Sang. miſſ. reuulſionem tantò eſſe efficaciorem, quantò maiorem in numerum particulares detractiones adauctæ fuerint. Prætereà ad eundem ſanguinem ad proximas partes deriuandum, ſunt qui laudant euacuationem, quæ fieri poteſt per Nares, vt eſt apud Aetium, ideò venis illis adhibentur hodie hirudines, quemadmodum & illis, quæ ſunt poſt aures. Tandem commodiſſimum eſſe puto, cum Celſo, impetum ſanguinis admota occipitio cucurbitula, ſic vt cutis quoque incidatur, auertere. Aurelianus tamen cucurbitam cum magna tantùm flamma

occi-

occipitio apponebat. Qui quidem Aurelianus, si à Capite fluat sanguis illud etiam ψιλώθρῳ expoliat, quod maximè reuellit, moxque fouet oleis astringentibus, & refrigerantibus inferiùs adducendis. Interim verò etiam laudatur à Galeno, & ab alijs, vt pro sanguinis retentione quomodolibet facienda, inducatur animi deliquium; sed quia id fieri non potest, nisi per intensiores corporis dolores, & insignes, ac inopinatas animi perturbationes, præsertim metum, atque mœstitiam, qualis esse ea solet, quæ ob triste nuntium ex improuiso delatum, animum simul cum corpore vehemẽter commutat, sanguinem ad intima cogendo, ego certè cum tot alia adsint auxilia tutiora, minùsque molesta, cumque iubeant Medici omnes huiusmodi ægros in maxima quiete, & animi oblectamentis esse habendos, ab hu us generis præsidijs dubijs me abstinerem; & ideò ad reliqua descendo, quæ ex Arte magis esse videntur. Perseuerante itaque sanguinis fluore à Capite, imò & à Pectore, consensus tamen nomine, cum suspicione tandem maioris Pulmonum læsionis, ad medicamenta varia confugere oportet, intrinseca scilicet, atque extrinseca, quæ venarum orificia constringendo occludant: ad quæ nihilominus antequàm deueniatur, cõsiderare opus est, an quid intùs, & in profundo Thoracis latitet delapsi sanguinis, qui in thrombos, seu grummos cõuersus sit: quod cum apparet, necesse est priùs Posca apprimè diluta, eaque tepida concretum sanguinem dissoluere, & dissolutum expuere. Visi sunt enim qui ex sanguine in Pulmone retento, ac iam putrescere incipiente, Tabi proximi erant, à quo periculo non priùs liberi facti sunt, quàm putridum illum sanguinem per aperientia, & dissoluentia excreuerint, reliquis posteà iuxtà Artẽ præscriptis. Sed de Posca, & alijs rebus ad id necessarijs infrà vberiùs. Quæ nam igitur erunt medicamenta intrinsecùs offerenda? Incipiam à leuioribus, sed non more Erasistrati, qui in hoc casu à Galeno reprehenditur, quod ex hucusque allatis patere satis vnicuique potest; cuiusmodi foret Gargarisma, aut Oris collutio ex rebus stypticis & refrigerantibus, qualis esset, si pararetur decoctio in aqua pluuiali, aut ferrata foliorũ centinodiæ, idest, polygoni, plantaginis, rubi, lentisci, myrthi, equiseti, rosarum rubearum, seminum sumac & cõsimilium; quod decoctũ actu frigidum in Ore contineatur, subinde propterea illud mutando; quod similiter confici posset

ex aquis ſtillatitijs plantaginis, & portulacæ cum granatorum, aut cydoniorum ſucco, vel ex aqua hordei chalybeata, addito modico aceto, vel etiam diamorone, vitando penitùs quæ potentia, vel actu calida ſunt, quoniam à calidis & rarefacientibus collutionibus plùs ſanguinis erumpere dicebat Aetius Tetrab. 2. Serm. 4. cap. 59. vbi tradit curationem his, qui ſanguinem à Capite educunt, ſufficere ſimpliciorem & exiguam. Adſtringentia enim per collutiones palato adhibita frigida ſufficiunt. Probo ſimiliter, vt Ore detineatur confectio in tabellis, quæ ſanguini vndicunque mananti, ſed à Capite potiſſimùm in ſubiectas partes ſpiritales deerranti prodeſſe non parùm poteſt, fitque accipiendo diacodij drac. ij. boli armenæ, corallorum rubeorum, lapidis hæmatitis ana ſcrup. j. pulueris radicis ſymphyti, terræ lemniæ ana ſcrup. 5. tragacanthi, amyli, & gummi arabici ana drac. 5. ſyrupi de portulaca, & ſacchari roſati ana drac. iij. cum ſaccharo diſſoluto in aquis roſacea, & myrtillorum q. 5. fiat confectio in rotulis, aut tabellis. Prætereà ſumat æger electuarium aliquod inſtar opiatæ, cuiuſmodi foret accipiendo conſeruæ roſarum antiquæ vnc. iij. boli armenæ drac. j. 5. pulueris ſem. hyoſciami albi ſcrup. j. cum ſyrupo roſato de roſis ſiccis fiat mixtura. Quòd ſi valentiori opus ſit, præſcribatur & hoc alterum, quod in omni Sputo ſanguinis conueniens admodùm eſt, ſi bis in die ſumatur ad vnciæ dimidium. Rec. conſeruæ ſymphyti maioris, conſeruæ roſarum antiquæ ana vnc. ij. carnium cydoniorum cum ſaccharo conditarum vnc. j. 5. margarit. electarum in ſubtiliſſimùm puluerem redactarum drac. ij. corall. rub. boli armenæ præp. trochiſcorum de electro ana ſcrup. iiij. granorum myrthi ſubtiliter puluer. drac. j. Excipiantur omnia ſyrupis myrtino & violaceo, fiatque opiata. At ſi res adhùc magis vrgeat, & fluentis ſanguinis impetus perſeueret, nullo pacto omittantur Narcotica vocata medicamenta, quæ & in hoc, & in alio Sputo ſanguinis neceſſaria ſcribit eſſe Auicenna, propter duas res, quarum vna eſt ſedatio fluxus ſanguinis, quem talia medicamenta incraſſant, & ſecunda eſt dormitio, & remotio motus. Vnde aliqui perperam ea damnant, quòd ex nimio frigore, per quod illa agunt, infenſiſſima ſint membris ſpiritalibus; Reſpondet enim Galenus 7. catat. & optimè, præceps eſſe in huiuſmodi affectibus periculum, niſi illis citò, & valenter occurrant

Me-

Medici, qui propterea his interdùm vti coguntur, eo prorsùs modo iuuantibus, quo Auicenna ex Galeno dixit. Incommodo enim, quod ex nimio frigore timeri posset, occurritur intermiscendo aliquid calefactorium, à quo nimia illorum frigiditas contemperatur. Inter quæ quidem medicamēta primum tenent locum Theriaca, & Mithridatium: vtrumque tamen medicamentum recens sit, quodque sex menses non transcendat: quòd si non adsint huiusce ætatis, accipere potestis vel Requiem N. vel Philonium Romanum ætatis vnius anni. Dosis Theriacæ, & Mithridatij vnius tantùm drachmæ sit, quæ exhibeatur quatuor, aut quinque horis antè prandium: aliorum verò medicamentorum quantitas non excedat scrupulos duos, aliqua addita conserua. Sed vbi relinquo Philonium Persicum ritè confectum, à Mesue tantoperè celebratum? Quo profectò auxilio in sanguinis profusione sistenda, vndicunque sit, nullum præsentius medicamentum se inuenisse testatur Franciscus Valleriola Obser. med. lib. 4. obser. 6. quippè quod & somnum conciliat, & vasa occludit, & sanguinem incrassat; quibus omnibus intentionibus in sanguinis fluore sistendo procedere debemus: Cuius medicamenti drachmam ipse dabat ex succo plantaginis. Quamobrem ego nō video, cur Ioannes Baptista Montanus Consil. 159. in Sputo sanguinis dicat, nihil detestabilius esse Philonio, etiam de mente Galeni, nisi de nimio, & intempestiuo eius vsu intelligat. Exteriùs verò sunt qui laudant irrigationem fronti, & collo factam, accipiendo olei rosati omphac. vnc. iiij. aquarum plantaginis, portulacæ, & rosarum ana vnc. ij. aceti vnc. 5. misce. Nec displicet quod Aurelianus facit, qui post rasum, aut aliter pilis expoliátum Caput, mox illud fouet oleo viridi, seu omphacino, aut rosaceo, aut lentiscino, melino, aut myrtino. Quinimò si largior fuerit Hæmorrhagia, & gypso illud illinit, vel acacia ex aceto, magisque frontis atque temporum partes: & hoc modo æstuans Caput, ideòque sanguinem profundens, curari à nobis debet. Quòd si postremò, tot, ac tantis auxilijs malum minimè cedat, rationi consonum fit, ortum omninò habere à valentioribus causis, morbisque maioris momenti, dico à sanguine admodùm feruido, ac bilioso, nec non à Capitis, & Iecinoris discrasijs calidioribus: vnde ob id & ad biliosorum humorum expurgationem, vt infrà suo loco audietis, & ad intemperies

ries corrigendas deueniendum erit, pro quibus magnoperè laudatur ſerum Lactis caprilli optimè depuratum, & Chalybe ipſo præparatum, velut etiam thermales aquæ Villenſes, Ficoncellæ, B. Virginis, & Nocerianæ potiſſimùm. Sunt qui dicunt, inter quos Rondeletius eſt, ſanguinem reijcientibus defluxum è Cerebro in Pulmones, dari non debere aſtringentia, nec ſanguinem retinentia, ſed potiùs, quæ coagulatum ſanguinem diſſoluunt, quia oportet ſanguinem illum extrà corpus reijci, ne putreat, & internas partes corrumpat: Qui quidem rectè, & ex Arte loquuntur, vt & nos ſuprà; intelligentes videlicet de ſanguine iam fluxo, & in Pulmone moram faciente, imò iam concreto & nigrefacto, non autem de ſanguine fluente, & eiuſdem nimio, ac perſeuerante fluore à Capite ad Pectus; pro quo quidem compeſcendo neceſſarius videtur eſſe adſtringentium, & incraſſantium vſus, prout non multò antè audiuiſtis. Quippè multùm hac in re vereor ne ſola collutio Ore facta, per ea quæ adſtringunt & refrigerant, ſufficiens eſſe poſſit, vt eſt Aetij opinio, niſi hæc de moderata, & facilè compeſcibili Hæmoptyſi accipiatur. Quæ pauca ſatis ſint pro curatione Hæmoptyſeos non veræ, & per conſenſum à Capite tantummodò genitæ.

---

*De eiuſdem Affectus Curatione in Mulieribus per cōſenſum ab Vtero, tam è fonte Pharmaceutico, quàm Chirurgico depromptis auxilijs. An Menſtrua mouentia, & vſus in primis Chalybis, ac rerum chalybeatarum conueniant. Vbi potiſſimùm de multiplici Aquæ, & Vini Chalybe medicati virtute agitur, Celſique locus de animalibus Lienem exiguum habentibus, quòd apud fabros chalybeatam bibant aquam, confirmatur experimento facto in lienoſis hominibus. Hippocratis, Pauli, & Aetij loca, in quibus ad menſium fluxũ cohibendum infernas partes deuinciri mandant, explicantur, nec à Galeno, & communi medendi conſuetudine diſſentire oſtenditur.*

## Lectio, siue Cap. XII.

PROLIXVS nimis heri vesperi fui in tradenda curatione Sputi sanguinis à Capite prodeuntis, & non rarò ad loca Pectoris dilabentis cum euidēti etiam periculo sæuioris mali, nisi quamprimùm compescatur, & vndique sanetur, propter causas iam relatas; Quare hodie anteactam orationis longitudinem breuitate insolita cōpensabo, agamque tantummodò de curanda Hæmoptysi, quoties in Mulieribus ab Vtero, consensus nomine, oritur, non absq; suspicione Tabis inde tandem nasciturae, præsertim si mulier ipsa parùm sana sit, & salsuginosus sanguis, succique in ea praui redundent. Si itaque id mali genus in aliqua fœmina appareat, Vteri causa, dum scilicet illi menstrua non feruntur, & sanguis ab Vteri venis obstructis ad Pulmonum vasa regurgitans, ibi diutiùs quàm par sit immoratur, & ità incalescit magis, atque corrumpitur, aut suaptè natura vitiosus, & cacochymus, qualis est qui in parùm sanis mulieribus colligitur, & ideò aptus valdè ad labefactandos Pulmones, eorumque venas dilaniandas, nulli dubium est, quin tali in casu Medicus omni industria vti teneatur ad menses eliciendos, & sanguinis motum suprà vergentem ad inferna & muliebria loca reuocandum. Qua tamen in re omittenda penitùs sunt medicamenta, quæ ad mensium prouocationem per Os exhibentur à Galeno & alijs, quia cum sint calida admodùm, atque tenuium partium, & consequenter sanguinem multùm attenuent, fundantque, manifestè inde augeretur Hæmoptysis, & periculum quod resultare ex ea solet. Quæri sanè hoc in loco posset, vtrùm Chalybis vsus, quo non infeliciter in educendis menstruis quotidie vtimur, locum aliquem hìc habere possit, præsertim quia varij sunt modi, quibus citrà effatu dignam calefactionem præparatur, & sumitur etiam absque corporis motu & exercitio, quod in Hæmoptysi damnatur. Nescio propterea an spuma illa Chalybis à Mercato proposita in curatione febris albæ hìc conueniens sit. Hoc equidem scio Chalybem, seu ferrum expurgatum,

acciaio vulgò appellant, etherogeneum eſſe, diuerſisq. conſtare ſubſtantijs, cum ſit metallum valde impurum, & virtutem, quam poſſidet ad reſerandas obſtructiones, non ſolùm pendere à pondere ipſius, vt multi paſſim dictitant, ſed etiam, & multò magis à mordacitate, ac vi quadam eidem impertita à ſulphure, & mercurio, quibus etiam ferrum conſtat. Ob cuius quidem facultatis participationem Chalybs valde abſtergere, repurgare, & obſtructa loca aperire dicitur. Vnde iatrochymici omnes affirmant ferrum, ſi priuetur ſulphure, & mercurio per multiplicem ignitionem, tunc contrariam adipiſci virtutem, nempe aſtrictoriam, vt apparere dicunt in medicamento illo, quod Crocum Martis vocant. Tutior quoque eiuſdem erit vſus, ſi ex aceto præparetur, quod illius penetrãdi vim, abſquequo calefaciat, impensè adaugebit, vel etiam in aquis endiuiæ, oxalidis, & conſimiliũ, vitatis liquoribus calidioribus, vt vino, & aqua vitæ. Chalybeare Medici ſolent aquam, iura, in quibus tum carnes, tum varia decoquuntur fercula, in cœliacis, dyſentericis, & Hæmoptoicis, vt ſiſtant, corroborent. Ex alia tamen parte Chalybe, & chalybeatis rebus vtuntur in obſtructionibus debellandis lienis, hepatis, ac vteri, vt recludant, atque deobſtruant, quæ vires ſunt è diametro oppoſitæ, quarum ſanè diuerſitas non aliunde pendet quàm ex diuerſa metalli illius natura, quæ ex varijs concinnata eſt ſubſtantijs, quarum aliæ attenuando aperiunt, ac digerendo reſoluunt, ſulphuri atque mercurio attributæ, aliæ incraſſando potiùs, & ſiccando adſtringunt, & denſando confirmant, quales in parte ferrea vigere omnes concedunt. Accedit varius eiuſdem vſus, vnde etiam vna, ac ſimplex non eſt expectanda vtilitas. Sunt enim qui aceto abluunt limaturam Chalybis, mox ei puluerem caryophyllorum inſpergunt, ſumentes videlicet limaturæ lib. 1. pulueris vnc. mediam, ſic relinquentes per horas 24. Deinceps addunt vini albi dulciſſimi lib. 10. & facta infuſione exponunt Soli, ſpatio octo, aut decem dierum, illud frequenter agitando, & permiſcendo, de cuius facta colatura exhibent, vel in forma ſyrupi manè ad vnc. octo circiter, vel iubent vt ægri bibant in prandio, & cœna. Sunt qui in Electuarij forma, alijs multis additis attenuantibus, ac aperientibus, vſurpant, quibus artibus præparatus Chalybs poteſt ſanè

menſes educere,ſed tempore Hæmoptyſis habeatur pro ſuſpecto tanquàm maximè efficaci ad ingeminãdum ſanguinis fluorem per os, de quo neutiquam timendum, ſi ignitus ſæpè extinguatur in aqua, & iuribus, quoniam ſiue per ignitionem tenues illæ & acres ſulphuris, ac mercurij portiunculæ vi ignís diſgregatæ euaneſcant, remanentibus tantummodò frigidis, atque terreſtribus, quæ materijs vim adſtrictoriam imprimant, ſiue vnà cum illis quantumuis minimè diſſipatis,excitentur nihilominus in ferro candente, multotiesq́. ignito ſopitæ quodammodo, & craſſis, ac ſiccis partibus inhærentes virtutes frigefactoriæ adſtringentesq́. à quibus alterata aqua, aut iuſculum, & aliquando vinum eandem in ſe recipiant facultatem, quemadmodum aquæ thermales ferrum, aut Chalybem referentes, quas conſtat experimento, & teſtimonio quoque Dioſcoridis,non ſolùm noſtro huic caſui obnoxijs, ſed etiam cœliacis, dyſentericis, lienoſis,cholera laborantibus,& diſſolutis ſtomacho impensè admodum auxiliari, maximè autem viſcerum, & hepatis potiſſimùm calidiorem diſcraſiam remouere, ac diſſolutam vim confirmare.Si quis autem dixerit etiamChalybem ſolum, & impræparatum vino tantùm generoſo infuſum ab infarctu liberare, & menſes educere, nec huic magnopere repugnabo. Dictat quippe ratio vini meraci calore potentiali, & actuali ſimul elidi à Chalybe vires ſulphuris, atque mercurij, eiusq́. humidæ ſubſtantiæ impertiri, & communicari, quarum gratia & virtute attenuare valet, ſicut aperire, atque digerere. Hinc Celſus de chalybeata aqua loquens, de ea nimirum, quæ ex Chalybe ignito ſæpiùs extincto præparatur, ſcribit lib. 5. cap. 9. lienem præcipuè comminuere, quod animaduerſum eſſe inquit in ijs animalibus, quæ apud fabros educata exiguos habent lienes,& ita ad lienoſos compertum eſt, laudatiſſimam eſſe aquam depuratam, quæ è cotibus defluit,cùm enſes acuuntur, aut thoracum ferreorum loricæ circumaguntur. Ex quibus ità è natura rei diſcuſſis non difficile eſt colligere, quando, & quomodo poſſit Chalybs, & res chalybeatæ modò prodeſſe, modò obeſſe Hæmoptoicis. Tandem pro ſanguine ad vterum vocando,imò & extraducendo,ne ad os ſemper aſcendat,vtiliter admoueri poterunt medicamenta locis muliebribus inſtar glandis, aut ſuppoſitorij. Vtimur paſſim ſucco ex

folijs

folijs & radice mercurialis expreſſo, additis oleis liliorum alborum,& cheirino,hoc eſt,è violis luteis,his nimirum coto exceptis, & ſuppoſitis. Galenus 6.de ſimpl. medic.ait, ſi componatur medicamentum ex myrrha, lupino, & melle, atque mox ſupponatur, menſtrua muliebria euocabit. Fotus autem, ac ſuffitus ex rebus calidis, odoratis,& valde aperientibus omnino relinquantur.Præter hæc ergò, cætera auxilia petenda eſſe videntur è Chirurgia, à qua primùm ſuppeditatur auerſio facienda per infernarum partium, dico ab inguinibus vſque ad pedes, tum frictiones, tum deligaturas, nec non per cucurbitulas coxis interioribus adhibitas. Scimus enim & longis experimentis, & Galeni doctrina, infernis laborantibus, ſuperna exercere, ligare, & fricare opus eſſe, & è contrà; ideoque in menſium euocatione vtilia prorſus eſſe quæcunque deorſum trahunt è ſuperioribus, cum circa initia præceptum auerſionis ſit ad contraria. Quare teſtimonio Galeni 13. Meth. cùm menſes ducere animus eſt, in pube, & inguine cucurbitulam affigimus, quam etiam Celſus inguinibus inciſis admouebat. Sed hìc oritur dubitatio non leuis, quia Paulus Aegineta, quem in omnibus ſectatur Aetius,in menſium profluuio ſuadet inguina vinciri, ideſt, crura ea parte.Hoc autem ſi in menſium euocatione vtile eſt, quomodo eoſdem cohibet? Difficultatem verò non minimùm auget, quia Hipp.ipſe 2. de Morb. mul. ad immoderatum ſanguinis ex vtero fluorem remorandum,non ſolùm laudat ligaturas in cubitis, ſed & ſuprà genua, ſubpoſita tamen lana. An vincire crura in menſium fluxu vtile tantummodò eſt in diapedeſi, & vbi ſenſim ſanguis fluit, ſed longo tempore, quòd optimè crura deriuent ab vtero, non autem dùm magnus eſt ſanguinis impetus? Quantùm verò ad Hippocratem, reſponderi poteſt illũ non diſſentire hac in re à Galeni præceptis, quia ligaturam imperat in ſupernis quoque partibus, qua ratione vult ſanguinem, qui deorſum vergit, ſurſum trahi. At cur obſecro & ſuprà genua vincula commendat, quæ diximus infrà vocare, non intrò cogere ſanguinem? Vt retineatur quicunque à magnis crurum venis in vterum refunditur. Duplicem hìc etenim conſideramus ſanguinis motum, quorum alter eſt à venis ſuprà vterum, ſeu prout ſanguis mouetur à ſupra, vt inquiunt,ad infra, ideſt ad vterum, alter verò

à venis femorum ad vterum, & consequenter ab infra ad supra. Pro cuius quidem geminati motus diuersitate possumus non solùm brachijs, sed & suprà genua quoque vincula admouere, eo quòd ita etiam cohibetur ille sanguinis impetus ad vterum, qui est ab infra ad supra, Hippocratem tamen imitantes, qui dum coxas ligat, eodem simul tempore deuincit & brachia, vt duplicis ligaturæ adminiculo vtrumque motum ad vterum cohibeat, siue sit à supra ad infra, siue ab infra ad supra. Præ omnibus tandem hoc in casu confert mulieribus secare venam tali, quam saphenam vocant, per cuius quidem sectionem haud ignoramus, sanguinem è supernis locis ad inferna conuerti, ac trahi, sicque etiam ad vterum, à quo si exeat, statim in eis illud apparebit emolumentum, quod Hippocr. ab experimento doctus scriptis mandauit aph. 32. libri quinti: Mulieri sanguinem euomenti, si menstrua erumpant, fit morbi solutio. Non dissimili ratione curata fuit mulier quædam Rufi apud Mesuem; cui quidem acciderat, vt sanguinem spueret, postquam lac delituit in mammillis eius, qui sanguis restrictus est lacte prouocato.

---

*Curatio traditur veræ Hæmoptysis è Pectore, ac Pulmone, per Chirurgicum instrumentum, in quo primùm breuiter de Pharmacis Enæmis, & Alipenis agitur, mox vera adducitur ratio, propter quam in quolibet Sputo sanguinis venæ sectio conuenit. Prætereà demonstratur vnde sanguis demitti debet, an scilicet à supernis, vel infernis locis; Iouberti error detegitur, & denique quomodo intelligendum sit, Galenum ab Hippocrate non discrepare in Pleuritide sanguinea, quam ille mitem, hic fortem, ac lethalem nuncupat.*

## Lectio, siue Cap. XIII.

POST traditam curationem sputi sanguinis à capite ad pectoris sinum, & pulmonem consensus nomine transmissi, indeque cum tussi ad os reiecti, nec non etiam ab vtero in mulieribus, propter mensium suppressionem, descendere nunc oportet ad curandam Hæmoptysim propriè sumptam, cuiusmodi est ea, de qua nos impræsentiarum loquimur, & quæ reuera à partibus pneumaticis, & pulmone in primis originem trahit. Quæ quidem fieri, & insurgere tunc solet, cùm pulmonis vasa aut disrumpuntur, aut secundùm oscula aperiuntur. Vtro autem modo contingat à viscere illo sanguinem effundi, in curatione parui refert, quia vnam & eamdem ferè medendi rationem, consimiliaq. auxilia affectio expostulat. Summa ergo totius curationis in cunctis fluxionibus est, iuxta Hippocratis, aut Herophili doctrinam in lib. de Loc. in hom. vt fluxio ipsa ante omnia sistatur, & ideò vndecunque, & à quacunque causa suboriatur sanguinis reiectio, debet in primis sanguis ipse præpediri, ne ad affectum locum confluat, & eodem tempore, locus vel disruptus, vel dilatatus per consolidantia, & astringentia occludendus est. Idipsum autem præstare nobis non licet per medicamenta illa, quæ φάρμακα ἔναιμα dicuntur, κολλητικά etiam Galeno dicta 5. Meth. quæ confestim cruentis vulneribus extrinsecis adhibita sanitatem inducunt, vtpotè coniungendi & vniendi diuisas partes facultatem obtinentia, vt in pristinam reducantur vnitatem. Cuius rei exemplum extat 5. Epid. nempe; Medicamento autem enæmo deligato conualuit. Agitur hìc etenim de consolidandis, astringẽdisq. locis dilaniatis in intimis, ac profundis partibus, quibus talia topica admouere fas non est, vnde etiam curatio ipsa tantoperè ardua, ac difficilis est. Consimili tamen vi prædita debent intrinsecùs quoque medicamenta à nobis propinari, quæ simul cohibeant, comprimant, astringant, retrudantq. cuiusmodi à Celso emplastra recentibus vulneribus applicanda describuntur lib. 5. c. 19.

Conſtare autem ea oportet,vt Aegineta vult, ex ſiccantibus non
ſummè, verùm ſecundi ordinis abſolutè, & tertij incipientis. Pa-
rantur verò, vt plurimùm, tum ex viſcidis glutinoſisq́ue, tum ex
auſteris, & acerbis, nulloq́. pacto ex rebus oleagineis, ac pingui-
bus, quæ propterea ab eodem Celſo ἀλίπαινα, vel, quod alij ma-
lunt, ἀλίπαντα vocantur, quòd non habeant oleum,pinguedinem-
ue, aut eorundem parum admodùm admixtũ. Hæc autem enæma
pharmaca, aut potius κολλητικά agglutinatoria qualia eſſe debeant,
& quibuſnam vectoribus cõmixta per os ſint exhibenda, in ſubſe-
quentibus Lectionibus audietis. Interim prædictis intentionibus
multifariã poſſumus ſatisfacere,ſed maximè præſidijs è Chirurgia,
& Pharmacia depromptis.De Dięta enim ſuprà ſatis.Cũ itaque in
huius ſymptomatis curatione dilatio vel minima periculoſiſſima
ſit, occaſioq́ue benè medendi multùm præceps, idcircò Eraſiſtra-
ti conſilio nullo pacto acquieſcendum eſt, dum à leuioribus in-
choandum eſſe volebat. Quapropter dicto citiùs ad ferrum con-
fugere opus eſt, dico ad venæ ſectionem,in quo remedij genere
tria ſunt accuratè perpendenda, tempus, locus, & modus cum
quantitate. Quoad primum, nemo non videt, medicum debere
ſtatim à prima viſitatione, ſi nihil prohibeat, ad id auxilij ſe con-
ferre, quoniam cum duo ſint Hæmoptoicorum pericula, ambo
facilius præcauentur miſſione ſanguinis ſtatim celebrata, quàm
alijs præſidijs. Subeunt ſiquidem Hæmoptyſici vitæ diſcrimen ex
immoderata ſanguinis vacuatione, cum qua ſæpe more iugulato-
rum animam quoque exhalant, nec non ex inflammatione loco
malè affecto ſuperueniente, quæ in vlcus deſinit putridum, ac ſor-
didum, à quo cum ſanioſa materia expurgari minimè poſſit, niſi
per tuſſim, ægras partes magis magiſq̀ue dilaniantem, propterea
fit,vt tunc vel nulla prorſus, vel certè omnino exigua glutinandi
vlceris ſpes relinquatur. Quamobrem ad hæc euitanda pericula,
ſanguis nulla interiecta mora mittatur, per cuius detractionem
non modò eiuſdem impetus aliò reuellitur, & conuocatur, ſicq́.
fluxus cohibetur, cuius præſentia ideò vulnus curari minimè po-
teſt, quia impedit, tenendo vulnus apertum, ac dilatatum, ſed
etiam quia quantitate illius depleta, & imminuta partes non adeò
facilè ſanguinem effluere, & à ſe elabi ſinunt; quæ vna eſt cauſa,

propter

propter quam in omni ſanguinis reiectione curanda præſtantiſſimi quique Auctores venæ imperant ſectionem,ſed omnium audaciſſimè πολυαίμοις, & benè venoſis; quandoquidem ſiue rexi, ſiue diabroſi contingat fieri hæmorrhagiam, admodum ei conuenire phlebotomiam dicebat Aretæus; quinimò etiam ſi per diapedeſim, aut anaſtomoſim fiat, ob metum ne plethora venas diſrumpat. Et hinc etiam eſt, quòd Gal. 5. Meth. in Hæmoptyſi ex pectoris refrigeratione non veretur ſanguinem mittere ad repellendũ. Sed quæ vena tundenda eſt? &, nùm ſuperior, an inferior? Varij varia loquuntur; at ſi accuratè, & ex rei natura definienda controuerſia eſt, non adeò nobis difficile erit difficultatem ſoluere, & diſſentientes etiam Auctores conciliare: quòd ſi inter ſe ſe conuenire non poterunt, ſat nobis erit à Galeni, & melioris ſcholæ pręceptis ne latum quidem vnguem diſcedere. Galenus igitur ipſe reuulſionis, & deriuationis ſimul gratia, venam cubiti ſecari iubet, quemadmodum facit & Rhaſes, qui ab ea vena inchoandum dixit; eſt autem quæ paſſim baſilica vocatur, aliàs hepatica, ſeu iecoraria, & quam Hipp. lib. de vict. rat. τὴν εἴσω φλέβα, id eſt, venam internam nuncupat, & in pleuritide ſecari iubet. De hac ipſa vena loquens, vt arbitror, & Aretæus in curatione huius ſymptomatis per Iunium Paulum Craſſum, Cędenda eſt autem, inquit, caua in cubito vena; & rationem mox afferens, ait; Etenim ex hac facilè ſanguis effluit, & ipſa ſectioni expoſita eſt, vtque per plures dies ſanguis innoxiè decurrat commodè aperta ſeruatur. In omnibus autem omnium, vt ita dicam, præcipuorum viſcerum hæc eſt ſanguinis via. Quo in loco notatu digniſſimum eſt quod ſubiungit, eos venarum diuiſiones ignorare, qui ſuperiorem, per quam quidem humerariam & cephalicam dictam intelligit, ventriculo, & hepati addicunt, vt & eos, qui ſi à liene ſanguis fertur, ſiniſtræ manus venam illam, quæ inter minimum annularemque digitum (ſaluatellam Arabes vocant) reſcindunt, quòd exiſtiment illam ad lienem vſque pertinere. Verùm, ait, & hæc ipſa inter cubiti venas inferioris (hoc eſt baſilicæ) propago eſt; & addit: Cur itaque potius eam quis prope digitos, quàm in cubiti curuatura proſcindat, cum hoc in loco amplior ſit, & ad effluxum habilior? Cuius rei occaſione non poſſum non annotare errorem Iouberti alioqui

doctissimi, & oculatissimi viri, qui de vena media, & communi dicta Aretæi locum intelligendum esse tradit, vbi etiam non rectè scribit, communem, seu mediam venam ab Hippocrate interiorem vocari, cum vena mediana illa sit, quæ ex cephalicæ, & basilicæ in cubiti articulatione coalitu emergit, ab Arabibus vena nigra nuncupata, interior verò ipsa sit basilica, aliter hepatica. Hæc etenim est, quæ incisa in præcipuorum viscerum affectibus præstò omnibus esse solet. Si igitur secanda est vena iam dicta, interna scilicet, aut basilica, quæ apparet in curuatura cubiti, ergò laudatur hìc sectio venarum supernarum. Quid itaque respondebimus venas infernas malleolorum secantibus? Siquidem Auicenna interdum videtur saphenam præferre basilicæ, & Gal. 13. Meth. in eadem videtur esse sententia, dum quàm longissimè à tentata fluxione parte reuellendum esse scribit; quod pariter confirmat De miss. sang. per illa verba: Antispasis, in his quæ suprà sunt omnibus, deorsum semper agitur. Quinimo Hipp. lib. 2. de Nat. hum. & lib. 3. de Nat. oss. scripsit, dandam esse operam, vt quàm longissimè à locis, vbi dolor est, & sanguis cogi didicit, venarum incisiones fiant: sic enim haud magna repentè mutatio fiet, & consuetudinem mutaueris, ne amplius eò loci sanguis coeat. Quod quidem etiam prodesse maximè, si ex thorace, vel pulmone fluxerit sanguis, auertendæ materiæ causa, de aliorum mente exarauit Aurelianus, quò patientibus partibus derelictis, ad eas, quæ nō patiuntur, reijci assuescat. Et hinc est, quòd Trallianus iuuare plurimùm docet, ex infernis partibus sanguinem detrahere, seu ex venis, quæ ad malleolos conspicuæ cernuntur. Cum præterea sanguis in Hæmoptoide peccet semper secundùm motum, aliquando verò etiam secundùm copiam, clarum est conuenire semper sanguinis missionem tamquam auxilium reuulsorium, interdum verò quoque vt vacuatorium. Quare vt reuulsio, quæ in immoderata quauis sanguinis excretione necessaria est, felicius succedat, ab extremis & longinquis partibus sanguis detrahendus esse videtur. Sunt qui putant, si validus sit profluentis sanguinis impetus, vt in anastomosi, seu ex fusione, seu natura pellente, optimam esse illam auersionem, quæ ad inferna fit. At vbi profluit ex vulnere, non sponte naturæ pellentis, tantùm auertere conuenire, quatenus fluxus nimius non

impe-

impediat agglutinationem, & tunc ſatius eſſe venam cubiti incidere, quòd reuellat nonnihil, & deriuet ſimul à loco vulnerato, vnde facilè ceſſabit influxio. Alij etiam ſunt qui aliter cenſent: ſed quicquid ſit de aliorum opinionibus, laudabilior & ſimul tutior res erit, meo iudicio, ſi medicus ſtatim ac ad verè Hæmoptyſicum accerſitur, niſi ſit quod impediat, vt Galeno contigit in matrona illa Romana, iubeat venam tundi quam dixi, nempe internam, quemadmodum Galenus ipſe facit, & cum eo Paulus, Aetius, Auicenna, alijque fermè omnes: & modò dexteram, modò ſiniſtram cum Auicenna, prout huius, vel illius partis pulmonum magis obleſæ ſigna adfuerint. Placet mihi tamen in hoc Criſtophori à Vega opinio, vt ſemper ſanguis ab interna vtriuſque brachij vena auferatur, reuulſionis ratione, non tamen copioſè, ſi multus ſanguis reiectus ſit. Vrgente itaque morbo mittatur è ſupernis venis, per quas reuulſio ſimul & deriuatio à pulmone, & alijs internis viſceribus ſubito, & felici cum ſucceſſu perficiuntur: quæ enim ab alijs remotioribus partibus fit auerſio, nimis tunc longè petita eſt, vt pote quæ niſi in tempore confert, & cùm præcauendi potiùs, quàm curandi viget intentio. Id enim & bona medicorum ſchola habet in conſuetudine, vt, poſtquam miſit ſanguinem è ſuperioribus locis, alia inferiora non contemnat, & ſic ſanguis in parte ſeriùs colligatur. Vnde venis podicis hirudines, cruribus cucurbitulæ, ita vt cutis incidatur, adhiberi ſolent, & mulieribus ſaphenæ aperiuntur, quotieſcunque menſium ſuppreſſionis cauſa ſanguis ab ore expuitur. Id quod aliqui in fœminis, vel ab ipſo principio moliuntur, ſanguinis ſubſidentiam infrà iecur conſiderantes, quidam verò alij niſi poſtquam è venis brachij extractus ſanguis fuerit, ea ratione, ob quam ſimiliter non temerè conſulunt in pleuritide vrgente ſecari priùs debere venam cubiti lateris laborantis, mox ad educendos menſes, & ſanguinis motum infrà vocandum, incidendas eſſe ſaphenas. Verùm hoc in loco inſurgit magni momenti difficultas ex verbis Hippocratis 6. Epid. ſect. 3. t. vlt. in fine lib. de Humor. Impedimentum, inquit, ijs, qui cruenta expuunt, tempus anni, pleuritis, bilis. Quem locum Galenus explicans refert in maximo quidem æſtu, qualis ſub cane, & valde bilioſis hominibus phlebotomiam non conuenire, ſed pleuritidem vel

ex

ex ſe illam requirere, adeò verum non eſt quòd diſſuadeat, dummodò permittant vires: at voluiſſe Hippocratem, vbi ſanguinolentum eſt ſputum pleuritidis cauſa, extrahendum quidem eſſe ſanguinem, non cruenti ſputi ratione, ſed pleuritidis. Ita vt ſi Pleuritis miſſione ſanguinis indigeat, eius proprijs adhibitis diſtinctionibus, vena aperiatur, nempe ſi dolor ad iugulum pertingat, aut ſi eſt vehementior pleuritis. Etenim ſi placida fuerit ac mitis, licet ſputum excernatur ſanguinolentum, idem Galenus phlebotomiam haud eſſe neceſſariam allata hiſtoria confirmat. Verùm quid Galenus reſpondebit Hippocrati, qui lib. 3. de morb. meminit pleuritidis ſanguinolentæ, hoc eſt, in qua ſanguinea ſputa ſcreantur, quam vocat fortem, doloroſam, & lethalem? Quòd ad Hippocratis nuper allatam ſententiam ſpectat, cum de ea iterum habendus ſermo ſit in pleuritide, ſi quippiam notatu dignum mihi occurrerit, ibi erit ei locus opportunior. Interim hoc habeo dicere, nullo modo mihi probari interpretationem, quam ad hunc locum affert Valeſius; cuius opinioni nonnullos ſubſcribere obſeruo, vt nec placet ſolutio, aut conciliatio à Mercuriali excogitata, eo quòd illa etſi rationi conſona videatur, verbis tamen Hippocratis, & Galeni minimè quadret, hæc verò altera, quòd à veritate, & illorum Auctorum mente, ſicut etiam à doctrina Celſi longè aberret. Quantum verò ad Galenum, cùm ait pleuritidem ſanguineam mitem, ac placidam eſſe, ideoque in ea ſuperuacaneum eſſe miſſionis ſanguinis auxilium, nulli dubium ſit, quin de illa intelligat pleuritide, in qua ſputum tantummodò reijcitur ſubcruentum, quale per diapedeſin, aut reſudationem exit. Hippocrates verò citato loco de morbis, de illa pleuritide loquitur, in qua ſputum apparet αἱματώδες λίην, valde cruentum ac ſyncerum, à quo indicatur nobis aliud vitij genus, nimirum vel vaſorum quorundam diauroſis à bile acri & erodente, quæ ſanguinem attenuat, & vaſa reſerat, vel rexis à vehementiori thoracis concuſſione, compreſſioneque, qua nihil ex phlegmone foràs excludi poteſt, quæ propterea pleuritis valde deterior eſt bilioſa, vt etiam magna ex parte lethalis. De modo, ac menſura ſanguinis, quæ erat vltima condicio in celebranda phlebotomia procuratione Hæmoptyſeos agetur quam breuiſſimè ab initio ſubſequentis Lectionis.

De

*De modo, & quantitate sanguinis extrahendi in propriè sumpta Hæmoptysi. Vbi ostenditur quidnam reuera intelligat Auicenna per subtilem Phlebotomiam, &, post nescio quæ alia Chirurgici fontis, quæritur etiam, vtrum ex vsu sint in cruribus Phænigmi, vel ne. A quibus ad Pharmaceuticum acceditur, in quo de vi Oxycrati, & Coaguli ad grumosum sanguinem dissoluendum, de multiplici τῶν ἰσχαίμων forma, & facultate, à simplicioribus incipiendo, inter quæ etiam de Rhapontico, Rhabarbaro, & Centaurio maiore differitur. Hic Auerroem iniuria Galenum sugillare, & Mesuem à Iacchino perperam notari probatur.*

## Lectio, siue Cap. XIV.

DICEBAM nudius tertius in curatione verè, aut propriè sumptę Hæmoptysis, qualis est quæ à pulmone prouenit, ab apertione, vel disruptione vasorum, pro ritè celebranda phlebotomia tria maximè videri notatu digna, & scitu necessaria, videlicet tempus, locum, & modum cum quantitate: Et quoniam hucusque de tempore solùm, & loco verba feci, nunc paucis de modo cum quantitate agendum est. Quòd itaque in omni sanguinis reiectione compescenda, aliqua sanguinis detractio, auersionis, si non euacuationis gratia, conueniat, iam receptum est apud omnes medicos, etiam in illa, quæ ab erosione nascitur, quanquã Trallianus aliter sentire videtur, dummodo virium robur adsit, idque permittat. Galenus etiam venæ sectioni pepercit in curanda muliere illa Romana, quia scilicet ob trium dierum ieiunium in magnam inciderat imbecillitatem; quam ob causam similiter in pueris sanguinem spuentibus cucurbitulis potius cum incisione cutis medici vtuntur, quàm venæ sectione. In eo tamen consentire omnes obseruo, vt sanguis extrahendus, paucus & modicus sit, magisq. epaphæresi, & per repetitas

titas vices, quàm confertim, aut copiosè, vnica vice; non enim videntur Hæmoptoici vacuatione indigere, ab ipsa nempe affectione satis euacuati, vt inquit Aetius, & ante eum scripsit Aretæus; & qui mittitur sanguis, non ad euacuandum, sed ad auertendum mittitur. In plethoricis quidem libenter concesserim aliquãtò largiùs sanguinem extrahi debere; qua autem copia, determinari non potest à medico docente, & qui præsens non est. Ideo sunt qui, vt suprà vobis dixi, duas, vel tres vncias pro singula vice proponant, & sunt ex alia parte, qui suis Hæmoptoicis natura sanguineis, quosque etiam persanasse testantur, prima vice vncias octo, & secunda deinde vice, quæ sex post horas fuit, vncias sex mitti mandauerint. Quare in hac re decernenda ad communes fontes accedere oportet, corporis scilicet naturam, ætatem, anni tempus, & reliqua millies decantata, dummodo non obliuiscamur quod summi in Arte viri iussere, nunquam larga manu hoc in symptomate sanguinem esse mittendum, & nisi quantitate discreta. Hoc etenim est quod voluit Auicenna cùm ait, fieri debere phlebotomiam subtilem, ac interpolatam tribus horis pro conseruatione virtutis. Vbi per subtilem Capiuaccius interpretatur non paruum foramen, hoc enim tradit à tenuitate & crassitie sanguinis indicari, sed venæ sectionem talem, in qua licet sanguis copia peccet, verbi gratia ad lib. 11. tamen non educitur vna vice ad lib. 11. sed in parua copia, & vicibus pluribus. Hollerius nihilominus videtur mihi intelligere de paruo, & angusto vasis foramine, dum inquit: Sanguis ex interna brachij, angusto vulnere, modica quantitate, bis, aut ter vna die, aut duabus detrahi debet, sed viribus constantibus. At vbi Mesuem relinquo? Qui rem hanc apertè satis declarare videtur lib. 2. cap. 6. Postquam enim laudauit sectionem venæ basilicæ in Hæmoptysi, in qua adsit copia sanguinis cum feruore seù qualitate acriori, & nunc dextri, nunc sinistri brachij, statim subiungit: Mediocris apertionis, si solùm in quantitate sanguis exuberat; aut subtilis apertionis, si subtilitas, & acuitas dominantur in sanguine. Vtro ergò modo accipiatur Auicennæ sermo, laude dignus est, quippè qui vtile in se continet consiliũ. Fit enim minor spirituum dissipatio tum si angustum fiat foramen, tum si sanguis in parua copia, sed pluribus vicibus auferatur.

Vtrum-

Vtrumque igitur & ego probo, cum ſic & auerſio probè fiat, & vires minus lædantur. Melius enim eſt partiri euacuationem, quàm omni vi effuſa ægrotantem præcipitare. Vnde etiam conſtat, cur Galenus ita partiri voluerit venæ ſectionem, vt bis, aut ter ſanguinem detrahat. Sed quiſpiam veſtrùm quæret, num eadem die, & quantum ſpacium interponendum. Nam Galenus ipſe aliquando, vt lib. 5. Meth. horam vnam interponebat, & ſimiliter pluries iterabat pro viribus ægroti, interdum verò, vt de ſang. miſs. iterat ſecundo die, vel tertio, quemadmodum ſuprà etiam notaui ex Aretæo. Definire id oportet ex morbi vrgentia, quoniam in acutiſſimo morbo vtimur maiori, & crebriori ſanguinis detractione, in alijs contrà, minore, & rariore. A vena autem ſecta alijs quoque præſidijs vtendum erit, quæ reuellunt. Ideò Galenus præcipit artus omnes vinciri, ideſt, brachia & crura, quæ & non paruam ad id habent facultatem, propter vaſorum magnitudinem, & copiam ſanguinis, qui in eas partes confluit, quarum ſimiliter partium frictione vti ob id ſolemus. Idem Galenus in matrona Romana, cui ſanguinem mittere ob inediam auſus non eſt, acrem vſurpauit clyſterem, frictiones extremorum acres, & vincula. Sunt qui cucurbitulas ſiccas hypochondriorum regioni admouent, quas tamen alij magis laudant in hæmorrhagia è naribus, veluti ad dorſum in caſu noſtro, quæ pariter ilibus, & inguinibus affigi poſſunt. Antequam verò exeam à chirurgica parte, illud minimè ſilendum, in ſanguinis profluuio perſeuerante, ad maiorem efficiendam reuulſionem, & eiuſdem ſanguinis ichorem acrem atque mordacem, vaſa vel rumpentem, vel aperientem, à quo propterea ſæpe oritur Hæmoptyſis, imminuendum, haud abs re forſitan futurum, ſi phænigmi cruribus adhiberentur, diutiusq. aperti conſeruarentur. Sed quidni etiam brachijs? Affirmabat enim Galenus, teſte Oribaſio de reuulſione ſcribente lib. 8. cap. 19. acria medicamenta brachijs, & manibus, ideſt, τοῖς κώλοις impoſita, ſuccos ad caput viſceraq. vergentes, reuellere. Quæ ſatis dicta ſint de Chirurgicis auxilijs, deſcendendo nunc ad ea, quæ ſuppeditare Pharmacia conſueuit. Inter quæ quidem quod primo loco occurrit, priuſquam ad repellentia, aſtringentia, conſolidantia, & alia deueniatur, eſt, concreti, ſeu grumoſi ſanguinis in ſinu Pe-

ctoris,

ctoris, & bronchijs Pulmonum diſſolutio,& expectoratio. Nam licet claudere vulneris os per ſe poſſe videatur grumoſus ſanguis, attamen quia glutinationem manifeſtè impedit, & apprimè lædit, ſæua adeò inducendo ſymptomata,vt etiam inter venena collocetur, ideò omni cum celeritate talis ſanguinis tum diſſolutio, tum euacuatio procuranda eſt. Satisfaciunt intentioni huic Galenus & cæteri Græci medici Oxycrato benè diluto, ſeu poſca mitiſſima, ideſt, aceto ſic aquæ commixto, vt bibi poſſit: ita enim ſumitur citra vehementiorem motum,& abſque quo inde tuſſis producatur, præſertim ſi tepida offeratur, & bis, ac ter, ternis horis, ſenſimq́. & paulatim hauriatur ad modum eclegmatis, vt in viſcus aliquid eius penetret. Ad vitandam tamen omnino tuſſim Auicenna prohibere videtur acetum, & eius loco mel addere, vt non Oxycraton, ſed Mellicraton præparet. Alexander verò Trallianus poſcam optimè confectam magnoperè laudat,quippe quæ duo præſtare poteſt emolumenta, quorum vnum eſt, diſſoluti ſanguinis excretio, & aliud, alterius confluxus prohibitio. Quare & vos ob Oxycrato, ſeu poſca ne diſcedatis, quæ ſi cum exiguo, & parùm acri aceto copioſiſſimæ aquæ infuſo conficiatur, tepidaque exhibeatur, nec non ſenſim, & paulatim, ac per interualla quædam, multum affectui prodeſſe, & nullo alioqui pacto nocere poteſt. Ad idem præſtandum alia multa referuntur à medicis, & præcipuè coagulum omne, cerui, hoedi, ſed maximè leporis, auctore Gal. lib. 10. ſimpl. medic. Verùm quomodo coagulum digerit, & extenuat, ſi lac coagulare experientia docet? Sanè virtute eſt acri, digerente, & exſiccante. Ideò enim dicitur coagulum omne fluxum muliebrem ſanare, per quem tamen non ſanguinis per vterum immodica profuſio intelligitur, ſed is affectus, qui ῥοῦς γυναικεῖος vocatur, hoc eſt, menſes albi, & decolores, abſumpta eorum materia à digerente facultate, & proinde exiccante coaguli. Quamobrem Auerroes, & alij ex Arabum familia tradunt parte aliqua refrigerare, aſtringere, atque reprimere, aut elementari qualitate, aut proprietate quadam. Sic Io. Arculanus teſtatur, & ait, coagulum coagulare, & diſcoagulare. Certum eſſe experimento notat Hollerius, quod & teſtimonio Dioſcoridis, & lactis exemplo probari poteſt, diſſoluta coagulare, coagulata diſſoluere; qui etiam

ſubiun-

ſubiungit,modica illud exhiberi quantitate,nec temerè hoc dicit, quia coagula copioſa interimere tradit Aretæus, & ex ijs, quæ vim acrimoniæ refringant, doſimque ciceris eſſe magnitudinem ex oxymelite, vel poſca, ſi grumi diſſoluendi ſunt;alioqui ex aqua ferrata, plantaginis, & ſimilibus. Dioſcoridis locus, quo tradit coagulum omne diſſipata cogere, & coacta diſſoluere, eſt lib.2. cap.67. Idem efficere volunt picem,bitumen(Græcis ἄσφαλτον) &, quæ ex vtroque eſſe videtur, mumiam Barbaris vocatam, non, tamen carnem, & oſſa humana piſſaphalto, aut aromatibus condita. Hoc enim eſſe ſcribit Ioubertus,non inhumanum tantùm, ſed etiam ineptum remedij genus. Quæ quidem omnia vt ſciatis neceſſarium iudico, ſed præter poſcam eo quo dixi modo præparatam, cætera dimittatis. Poſt grumoſi ſanguinis diſſolutionem, expurgationemque, ſtatim accedere oportet ad medicamenta illa, quæ vniendi & conſolidandi vim habent aperta, vel diſrupta vaſa, idque eò magis, quò ſcimus in curatione vulnerum partium intimarum minimè contingere id, quod euenit in curandis partibus externis vulneratis, in quibus medici multa manuum operatione vtiliter præſtant, vt ligaturis, ſuturis, enæmis vocatis pharmacis, & conſimilibus. Licet enim vniendi & conſolidandi partes intimiores,ad quas medici manus non pertingunt, videatur eſſe omnino opus & munus ipſius naturæ, attamen per ſe vix hoc efficeret natura,niſi noſtris ſuffulta auxilijs, quibus eidem duplici nomine poſſumus ſuppetias ferre, primo ſcilicet tollendo impedimenta, quæ ſunt copia, vitium, & fluxio humorum, quorum omnium cauſa impeditur natura, quominus vnionem & conſolidationem perficiat; ſecundo autem varia ſubminiſtrando præſidia, refrigerantia,ſiccantia, incraſſantia, & agglutinantia, quibus tamquam inſtrumentis ad male affecta loca ſananda vtitur. Cuiuſmodi verò, & quæ nam eſſe debeant medicamenta aduerſus ſymptoma, & morbos pugnantia, tamque ſimplicia, quàm compoſita, nunc demonſtremus oportet; ſed quia hæc tum interna, tum externa eſſe poſſunt, præferenda ſemper ſunt intrinſeca, quoniam præſentior medela in potionibus,deuorandiſque conſiſtit,vt proxima vulneratis partibus medicamina ſint, quorum quidem triplicem eſſe formam dicebat Aretæus lib. 2. de acut. cur. cap. 2.

Alia

Alia ſiquidem fluxionis ductus & canales vinciunt, cogendo, ac comprimendo vaſa. Alia fluentem humorem incraſſant, & velut coagulant, ne etiam patente canali progrediatur. Alia denique exſiccant, & abſorbent quod in effluxionis loco fuerit collectum: vnde is madidior coalitum interea non admittit. Incipiam autem à ſimplicioribus, quia his primùm, dein, ſi opus fuerit, fortioribus, ideſt, compoſitis nos vti iubet Trallianus. Etenim, vt ex Arnaldo conſtat, qui poteſt mederi ſimplicibus, dolosè aut fruſtrà quærit compoſita. In quorum quidem auxiliorum adminiſtratione, ſemper illa debent magnitudini affectus, & viribus ægri commenſurari, idq. ſeu ſint vſurpanda in ipſo paroxyſmo, ſeu antè, vel pòſt. Agitur hìc enim de curando vitio, quod cùm ceſſare videtur, repetit, ac facilè reuertitur, & maligno præditum eſt ingenio, vt Aretæus ait. Inter ſimplicia itaque ſunt roſæ, plantago, portulaca, polygonon, equiſetum, potentilla, pentaphyllon, verbaſcum, ſeu thapſum barbatum, pulmonariæ ſuccus, & herba ipſa quouis modo vſurpata, omphacium, & eius rob, fructus ſpinæ Aegyptiacæ, ſi haberi poſſint, ſin minus, folia & fructus ribes, imò & ſuccus eius à ſeplaſiarijs conditus, ad anni totius vſum, Rob de ribe appellantibus, rhus tam obſoniorum, quàm coriariorum, lentiſci tenellorum foliorum ſuccus, & eiuſdem lachryma maſtiche dicta, acacia, biſtorta, hypocyſthis, ſymphyti radix, quam Aetius lib. 8. cap. 63. laudat ſiccam, pulerizatam, & potui inſperſam, vel eiuſdem decoctum, & quam multos ante retrò annos ex mulſa dabat Dioſcorides, cui tanta agglutinandi vis ineſſe dicitur, vt ab eodem Dioſcoride tradatur, carnes quibus incoquitur coagulare: quercus membranoſa pars cuti ſubiecta, & calyces, ſeu cupulæ glandiũ, & gallæ præſertim virides, ſeu immaturæ; aqua ſtillatitia foliorum quercus, puluis mororum ſiccorum: terra ſigillata, bolus armenus, corallium, lapis hæmatites, quem Aetius cum ſucco mali punici offerebat, de cuius multiplici vſu abundè Trallianus lib. 7. electrum aliàs ſuccinum, aut carabe, & vulgo ambra vocitata, gummi tragachantum, & Arabicum, & ſanguis draconis; inter quæ ſi oleum de carabe per ſublimationem, oleum de corallio ſimili arte paratum, & ſpiritum quem vocant vitrioli, quorum guttulæ aliquot exhibentur vnà cum aqua vel plantaginis, vel portulacæ, vel ſymphyti

phyti

phyti ſeu conſolidæ, nec non pariter & amylum, quod tamen calce addita adulteratum non ſit, atque oui albumen, ex quo tam diu agitato, quouſque ſpuma in aquam deſinat, & eidem pari ſacchari roſ.tabul.pondere admixto, & amyli ſufficienti quantitate addita, optimum conficitur eclegma, repoſuerimus, ſicuti & caphuram, qua Rondeletius feliciſſimè vtebatur ſcrup. j. propinato ex aquæ cyſternæ cyatho cum modico aceto, & denique decoctū illud palmularum, aut ſiliquarum edulium cum terra lemnia pond. drac.j. ad minimum, drac.iij. ad ſummum, cuius meminit Aretæus, & ſaccharum roſatum vnius anni, ab Auicenna, & omnibus medicis celebratum, profectò ſimpliciorum propè omnium τῶν ἰσχαίμων ſyluam nos luſtraſſe dicemur. Sed vbi Rhaponticum cognominatum, tantoperè ab Aretæo, ac Tralliano noſtro in caſu commendatum, pro quo hodie paſſim, ſed temerè à Pharmacopæis Centaurium maius vſurpatur? Vbi Rhabarbarum, quo Meſue, & alij hoc in morbo vtuntur? De vero, & germano Rhapontico, quod nullo modo eſt Centaurum maius Dioſcoridis, licet aliqua ſit ſimilitudo, nulla eſt dubitatio apud illos, qui non ignorant vires eius ex Dioſcoride, & Galeno: quantum verò ad Rhabarbarum, crediderim cōuenire primùm ratione purgationis, quatenus bilem, quæ ſanguini intermixta ad exitum illum nimis accelerat, expurgare maximè ſolet; exhibendum tamen per infuſionem factam vel in ſero lactis caprini chalybeato, vel in aquis plantaginis, portulacæ, intybi, polygonos, & ſimilium: quod pariter maturum non ita ſit, & quoquopacto aſſum; deinde verò etiam vt aſtrictorium, ſed tunc omnino immaturum, ac vſtulatum, ac eodem modo propinatum, vt acredo, vel mordacitas aliqua ab igne impertita infringatur; tametſi non me latet adeſſe, qui contendant Rhabarbarum in puluerem redactum magis quàm dilutum aſtringere, & ita in reiectione ſanguinis plus conuenire. Errant verò quammaximè quicunque Rhaponticum Græcorum, Rhabrbarum eſſe cogitant, quod ex eo potiſſimùm oſtenditur, quòd Paulus lib.7. vbi de ſimpl.agit, Rhapontico ea ſolùm aſcribit, quæ Dioſcorides lib.3.& Gal.8. ſimp. medic. de purgatrice vi nullo verbo facto, quam tamen Rhabarbaro aſſignat, & quia etiam nec Galenus ipſe, imò nec Auicenna Rhabarbarum cognouiſſe videntur.

Solus enim Paulus inter Græcos illud cognouit, vt videre est lib. 7. vbi de Diacorallo, Antidoto Agapeti, & compositione Attactos verba facit, de quo etiam intelligit lib. 1. cap. 43. in quo de lenienda aluo cum terebinthyna loquens, ità scripsit: Si verò volueris aluum magis purgare, parum Rheibarbari immiscebimus. Hæc si Auerroes attendisset, non tam facilè, vt moris eius est, in Galenum, & alios inuectus esset 5. Coll. quòd nimirum Rhabarbaro astringendi, non item soluendi facultatem assignauerint. Sermo enim ijs est de Rhapontico, non de Rhabarbaro, quod posteriores Græci tantummodò, & recentiores Arabes cognouerunt. Quòd si Auicenna in curatione fluxus ventris 3. Can. vnà cum malicorio, galla, acacia, & alijs id genus frigidis & astringentibus medicamentis Rhabarbarum quoque commemorat, Rhaponticum manifestè intelligit, cui talis omnino indita est facultas; qui propterea Auicenna Rhabarbarum purgatorij medicamenti loco nusquam vsurpasse obseruatur. Sunt tamen qui putant Mesuem in Rhabarbaro æquiuocasse, dum eius vsum in sputo sanguinis laudat, quòd hæc vis Ponticæ tantùm sit radicis, quæ licet idem nomen habeat, virtus tamen eius admodum diuersa est. Verumtamen verba Mesues clarè indicant, ipsum de Rhabarbaro, non Rhapontico loqui, nam & purgatoriam ei vim attribuit, cuius gratia bilem vacuat, quod non facit radix Pontica, & simul etiam astrictoriam, quam ex diuersitate substantiæ Rhabarbarum participat, eamque magis, si, vt dixi, & immaturum, & aliquantisper assum ex aquis frigidioribus vsurpetur. Ita enim ego putauerim defendi posse Mesuem, nec in Rhabarbaro proponendo Hæmoptysicis vllo pacto æquiuocasse, vt vir alioqui doctissimus Leonardus Iacchinus autumauit com. ad 9. Rhasis. An hoc ipsum est etiam asserendum de Centaurio tam scilicet maiori, quàm minori, cum vtriusque historia tum ab Auicenna, tum Mesue confundatur? Scribitur enim à Mesue ipso Centaurium vulnera conglutinare, & sanare, imò & sputo sanguinis conferre, ipsum sistendo, & apertam vasis partem glutinando: Atqui Aetius loco citato Centaurij radicis drac. ij. exhibebat, cum aqua febricitantibus, cum vino febre carentibus. Ex altera verò parte, ipsum adeò violenter aliquando ventrem soluere subjungit, vt ora venarum adaperiat, quibus san-

guis

guis emanet. Sed ne à Galeno diſcedam, loquens ipſe lib.7. De ſimp.med.de Centaurij maioris radice, dicit eam ſanguinem ſpuẽtibus vtilem eſſe, cum tamen magnam in aperiendis vteri venis vim habeat, ita vt poſſit & abortum facere, & fœtum mortuum deijcere. Difficultatem verò ſoluit ſubſtantiarum in eo præcipuarum contrarietas; tradit enim ibidem Galenus, mirum non eſſe, effectus ferè oppoſitos ab ijs medicamentis prodire, quæ diuerſis conſtant partibus, & ab his facultatibus, quæ ſibi inuicem aduerſantur. Quæ Galeni doctrina mirè etiam facit pro Chalybe, & Coagulis, de quibus ſuprà. Quicunque autem de Centaureæ vi in ſputo ſanguinis plura noſſe cupit, adeat Conciliatorem Diff. 190. dum vos ego interim ad finem hodierni ſermonis hortor, vt, in eligendis medicamentis, ea ſemper ſeligatis, quæ certiora ſunt, & de quibus nulla eſt inter Auctores controuerſia. Ad quid enim periclitari velle in re minimè neceſſaria? Multa ſiquidem ſuprà audiuiſtis ſimplicia medicamenta, & infrà etiam non pauca afferentur compoſita, quæ in praxi exercenda tutò, & feliciter vſurpabitis, dubijs omnino prætermiſſis.

---

*De medicamentis quibuſdam compoſitis ad Hæmoptyſim, in quibus nonnullæ ex Galeni doctrina emergentes difficultates diluuntur, & Purgationem, in ea præſente, per ſcammoniata, verèque Cathartica minimè conuenire, ſed omninò per hypelata, & clementiora pharmaca, vt nec ſemper præparatione per propotiſmata, ſeu alterantia vulgò dicta, indigere demonſtratur. Vbi etiam de recto Narcoticorum vſu agitur, & cuiuſnam ætatis offerenda Hæmoptyſicis Theriaca ſit, deque huius, & Opij varijs, ac diuerſis virtutibus, contrà Iulij Cæſaris Scaligeri opinionem.*

## Lectio, ſiue Cap. XV.

ANTEQVAM proponam vobis fortiora, & magis compoſita medicamenta pro integra propriè ſumptæ Hæmoptyſis curatione, nonnullas dubitationes, ſeu difficultates diluere conſtitui; quarum prima naſci ex eo videtur, quòd Galenus cùm alibi, tum 7.catat.4. iubeat in componendis medicamentis,quibus opus eſt pro curandis affectibus partium Thoracis,vnde ſanguis eijcitur, intermiſceri quæ calefaciendo, & attenuando aperiunt,quæ omnino prohibentur tam à ſymptomate ipſo, quàm à morbis & cauſis eiuſdem ſymptomatis. Nam, præter Hippocratis teſtimonium lib. 7. Aph.37. vbi curationem refrigerantibus,& aſtringentibus faciendam eſſe præcipit, omnia etiam iura medica clamant, refrigerandum, glutinandum, & conſolidandum penitùs eſſe. Quæ dubitatio non difficilè tollitur,ſi Galeni intentio rectè conſideretur, quæ eſt, vt in talium medicamentorum compoſitione ante oculos habeatur indicatio, quæ ſumitur à ſitu partis remotiſſimæ; quandoquidem,prius quàm medicamentum ad Pulmonem perueniat, varias & multiplices partes pertranſeat oportet, vt neceſſe interea ſit, vim eius aut euaneſcere, aut ſic remitti ac frangi, vt nihil, vel parùm prodeſſe poſſit.Quapropter ad hoc euitandum,ſitus remotioris particulæ nobis indicat vehementia multùm pharmaca requiri, ad differentiam eorum, quæ cruentis externarum partium vlceribus admouentur, & ideò ſumma cum ratione Galenus mandat, calida, ac tenuia medicamenta miſceri, etiam ſi hæc alioqui apertioni, & ruptioni vaſorum infenſa admodùm ſint; nimirum vt frigida & aſtringentia citiùs,& promptiùs in Thoracis partes digeri valeant, quorum diſtributioni obſtat non parùm cùm itineris longitudo, tum dictorum medicamentorum natura,quia,cum ſint aſtringentia, & cum lentore, ſeu emplaſtica, tantum abeſt, vt per longinquas, & anguſtas vias ferantur, vt potiùs ſibimet vias ipſas occludant. Vnde neceſſaria eſt mixtio rei alicuius calidioris, tenuio-

nuiorisq., quæ sit vehiculi instar, quæque possit cæteris ad affectum oppugnandum valentioribus iter parare, ac veluti viam sternere. Sed rursum aliquis vestrum obtrudet, dum ita medemur, quantum vna ratione iuuamus, tantum altera lædimus. Relinquo vobis dicere ex eodem Galeno, nullum in tota arte reperiri medicamentum, quod citra aliquam noxam magnificè prosit, & addo ex tali compositione longè maiorem prouenire vtilitatem, quàm detrimentum. Siquidem nisi calida illa ac tenuium partium admiscerentur, numquam principalia medicamenta ad affectum locum per se deducerentur, ne sileam, quòd quæ vnà miscentur in valde minori dosi sunt, quorum propterea vis ab alijs potentioribus, ac in maiori quantitate præscriptis facilè retunditur. Accedit, quòd sicut interpositas particulas, quas permeant, illa alterant, & afficiunt, ita vice versa ab ijsdem adeò transmutantur, vt cum ad læsam partem peruenerint, multùm langueant, & vel nihil, vel certè parùm eidem officere queant. Sed & hoc in loco dicet fortasse vestrum aliquis, idem etiam affirmari posse de facultatibus medicamentorum astringentium, & agglutinantium. Responsio sit, quòd hæc, vt dicebam, in valde maiori offeruntur quantitate, & viribus quoque illa alia manifestè superant, proindeque ad affectum locum deducta, licet in itinere ac transitu aliquantulum immutari potuerint, tantam adhuc retinent virtutem, quanta possint non obscurè prodesse. Insuper medicamenta calidarum atque tenuium partium, sicut facilè transire, & citò penetrare possunt, ita pariter non difficulter præ eorum tenuitate digeruntur, ac dissoluuntur; sed astringentia, & agglutinantia contrario modo se habent, eorum discussione à propria crassitie, insitoque lentore impedita. Altera difficultas nascitur ex eo, quòd, cùm iter medicamentorum ad Pulmonem esse possit per asperam arteriam, quæ proxima admodum via est, necesse minimè uidetur, ob distantiam loci, medicamenta ita componere, vt aliquid calidum tenueque admisceatur, quod eorum virtutem in longinqua loca deuehat. Nam quòd semper aliquid medicamenti, veluti quotidiani potus per asperæ arteriæ caput, non modò per rimam vocatam (per quam Gal. 8. de Plac. Hipp. & Plat. cap. 9. transfusionem, & irrorationem per trachæam interpretatur) in Pulmonem delabatur, in

confeſſo eſt apud omnes medicos, & quotidie experimur in eclegmatibus, & ijs, quibus per delinctum utimur. Vnde Galenus de quodam ſcribit apertè ſentiente uim aſtringentis medicamenti per aſperam arteriam deſcendiſſe; quod ſi in trachæam peruenit, cur non & in Pulmonem? Ex alia uerò parte idem Galenus teſtatur excogitata fuiſſe fortiſſima medicamenta ad Pectus, & Pulmonem, quia difficilius morbi in eis ſanantur, quòd longè abſint, & ideò lib. 4. Meth. circa finem, ad aſperæ arteriæ ſolùm ulcera ualere ea, quæ linguntur, memoriæ mandauit: ubi etiam notat, omnibus medicamentis, quæ Thoracis & Pulmonum vlceribus ſunt deſtinata, mel ideò eſſe admiſcendum, quia ſi auſtera ijs dumtaxat exhibebimus, ea in ventriculo morabuntur, digeſtionisque eorum in corpus inſtrumentum mel vocat, ac celeris tranſitus veluti vehiculum. Reſpondeatur itaque, quòd Galenus, alijq. medici primæ notæ minimè negant aliquid ſenſibiliter, & manifeſtè in ipſam arteriam influere, quod eius poſſit vlcera detergere atque ſiccare, ſed id exiguum, & inualidum iudicant, ad aliquod effatu dignum iuuamen in Pectore, & Pulmone efficiendum, & ideò neceſſaria omnino eſſe pro ſanandis harum partium morbis fortia & compoſita medicamenta, etiam ex illis, quæ aliquo pacto calida ſint, tenuiumq. partium, vt aliorum facultatem in remotiora illa loca venis medijs deducere valeant. Videamus ergò nunc cuiuſmodi hæc ſint, in quibus tamen etiam enumerandis ita progrediar, vt cùm vtiliora, & à primæ claſſis Auctoribus magis comprobata, tum maximè morbos, hoc eſt, Rexim, Anaſtomoſim, ac Diapedeſim reſpicientia allaturus hodie ſim, quoniam quæ Anauroſi, aut Diauroſi magis conuenire putantur, paulò inferius expendentur; licet re vera tam in ſimplicibus iam recenſitis, quàm in compoſitis nunc proponendis multa ſint, quæ communiter tũ huic, tum illis morbis prodeſſe manifeſtè poſſunt. Quoniam autem ab initio curationis iam poſitum eſt in conſuetudine, & rectè, ni fallor, vt ſtatim præmittatur clyſter ex decoctione communi, in cuius colaturæ lib. 1. diſſolutionem fieri ego iubeo diacatholici, & diaſebeſten 5. ſingul. vnc. 5. olei viol. vnc. iij. ſacch. rubri vnc. ij. & deinde ad ſanguinis miſſionem, & ad frictiones, ligaturas, & prædicta alia auerſionis gratia molienda deueniatur, poſt quæ, ab

Oxy-

Oxycrati benè diluti potu, si opus sit, ad consolidantia & astringentia quædam tam liquidæ, quàm solidæ substantiæ vnà cum extrinsecis ad Pectoris regionem inunctionibus descendere medici solent, idcirco non possum & ego non laudare hanc medendi rationem à diro sæpè, atque præcipiti symptomate indicatam, & ab omni meliori schola in docenda, aut potiùs exercenda praxi in vsum deductam. Sed interim nullo pacto aspernenda totius corporis prouidentia, per purgationem opportunis medicamentis efficiendam, per quam & reuulsio à supernis partibus optimè fit, & euacuatio similiter biliosæ materiæ acris, & præcalidæ, qua educta sanguis dicto citius deferuescit,& mirum in modum attemperatur; ne dicam, quòd ab eiusmodi prouidentia, auxilia interna & externa, quæ siccant & astringunt, valdè tutiùs, imò vtiliùs vsurpantur. Vnde nulli vestrum dubium sit, quin in recta cuiuscunque Hæmoptysis curatione necessarium sit purgationem instituere, licet in ea, quæ ex Diaurosi, aut corrosione impendet, & multò maiorem, & celeriorem etiam esse oporteat. Qua tamen in re vos diligenter attendere, & memoria mandare præopto vnum & alterum, in quibus non paucos hodie cęcutire, & in aliorum perniciem vehementer labi obseruo, nimirum, ne vllo vmquam tempore, in præscribendis medicamētis pro iam pręsente Hæmoptysi, ad verè cathartica, & præsertim scammoniata descendatis, vtpotè quæ sanguinem, & humores omnes nimis agitant, & ad exitum proritant, acrimonia quoque talium medicamentorum vasa ipsa rumpente, & ne præterea in vna & altera, si necessaria videatur, purgatione, moram faciatis in alterantibus, aut præparantibus vocatis, nisi morbus det inducias, quod raro accidit; & hoc ideò vobis dico, quia morbus interim furente bile deterior euadere solet; cum ex alia parte notum sit, nos bilem ipsam, nulla expectata mora, nullisq. præbibitis alterantibus syrupis cum ratione posse chologogis educere, vel Galeni testimonio lib. 4. de Sanit. tuen. multis in locis. 9. Meth. & præcipuè lib. 1. de Rat. vict. com. 18. & lib. 2. com. 30. nec non in fine lib. de Const. art. med. ipsa met scilicet bile abundè iam ad excretionem tenuiori, & acriori sua substantia perquàm prona. Sed quænam erunt clementiora, & minimè conturbantia medicamenta? Myrobalani, tamarindi, cassiá,

manna, rhabarbarum, syrupus rosatus solutiuus, diasebesten simplex, electuarium diacatholicum, atque lenitiuum appellatum; & proinde prima vice exhibere potestis huiusmodi bolos: ℞. pulpæ tamar. vnc. 5. flor. cassiæ drac. vj. rhab. electi puluer. scrup. iiij. cum saccharo f. 6. In potu uerò accipiatis rhab. torrefacti drac. j. 5. vel torrefacti quidem, sed & infusi in aqua plantaginis, & postea expressi drac. ij. syrupi rosarum siccarum drac. iij. syr. ros. sol. vnc. iij. aquæ plantaginis vnc. iij. f. p. Potestis quin etiam propinare syr. ros. sol. vnc. iij. 5. syr. de ros. siccis vnc. j. 5. decocti tamar. vnc. ij. vel iij. misce. Quæ purgatio nisi satisfaciat, iterùm vel eadem præscribantur medicamenta, vel fortiora, eiusdem tamen census, quæ infrà notabuntur; neque curetis admodum, vt dicebam, præparantia, nisi morbus mitior sit, & per interualla potiùs excandescens. Tunc enim mora minimè nocebit, præsertim quia propotysmata illa biliosi sanguinis impetum, & velut orgasmon reprimere & ipsa valent. Ad rem nostram. Syrupi eminentiores sunt de plantagine, de portulaca, de rosis siccis, myrthinus, iuiubinus, de omphacio, siue de agresta, de ribes, de berberis, de cornis. Conserua nenupharina, de radice symphyti, sed maxime rosacea antiqua, & frequenter vsurpata, quæ adhuc magis laudatur, si ex ea fiat instar opiatæ, additis aliquot spiritus chalchantini guttulis, & modica aqua consolidæ, & caudæ equinæ, seu equiseti. Trochisci insuper varij celebrantur, ex quibus multiplicia conficiuntur, seu qui varia forma pro ægrotantis voluntate exhiberi possunt; inter quos primatum obtinent qui de electro, vel carabe vocantur, de spodio, de terra sigillata, diaspermaton, & diacorallij Galeni, quorum trochiscorum dosis sit drac. j. ex aquis, uel decoctis astringentibus vnà tamen cum pectoralibus, vti farfara, capillo ueneris, & pulmonaria. Vt plurimum uerò eorum usus est, polline facto, & vnà cum conseruis, & arteriacis, aut eclegmatibus commixto. Sunt itaque qui Hæmoptysicos se omnino sanasse testantur hoc syrupo: ℞. aquæ plantag. unc. v. aquæ portulacæ unc. j. boli Armeni scrup. ij. syr. myrthini vnc. j. 5. syr. viol. vnc. 5. misce, fiat potus identidem exhibendus, sed valde magis efficax est, qui fieri ad hunc modum potest: ℞. sacch. lib. j. aquæ ros. uel pluuialis lib. j. 5. in qua coquantur ista, quæ sequuntur. ℞. myrtill. vnc. 1.

rosar.

rosar.sumach, acaciæ,balaust.hypocysth.spodij, ana vnc.5. sorbarum immaturarum, mespilorum viridium ana n.x. liquiritiæ,gummi Arabici, tragacanthi ana drac.5. Quæ omnia s. a. præparata bulliant in supradicta aqua donec ad lib.j.redeant, postea totum coletur & ad ignem iterum cum supra notato saccharo fiat s.a. syrupus, cuius exhibeantur vnc.ij.vel iij. ex aquis stillatitijs, aut decoctis relatorum simplicium. Placet quammaximè vt semel saltem in die Hæmoptoicus talem sumat potionem: ℞. lap. hæmat. in aqua plantag.loti, coralli rubei similiter loti ana scrup. iiij. terræ sig.drac.ij. marg. splendidarum drac.j.5. semin.plantag.arillorum vuarum exiccatorum ana drac.j. misce, & fiat subtilissimus puluis, addendo trochiscorum de carabe drac.j. cuius quidem pulueris sumatur drac.j. 5. & cum aqua plantag. & vnc. ij. syrupi de ribes, & vnc.5. syrupi de farfara ægrotanti offeratur. Dari quoque potest præcipuè hora somni hæc alia potio, per quam & somnus cōciliatur, & vnà etiam sanguis sistitur. ℞. philonij Persici drac. j. lap.hæmat.drac.5. syr.cidoniorum vnc.ij. aquæ plantag. aut centinodiæ q.s. pro reliquis diluendis. Insuper manè ieiuno ventriculo & hic potus traditur: ℞. trochisc. è carabe drac. j. trochisc. è terra sigill.sem.oxalidis, rhapontici ana drac.5. boli Armeni aqua rosarum loti scrup.j.syr.myrth.de berberis ana vnc.j. decocti bursæ pastoris q.s. fiat p. Non silebo autem hoc in loco potionem ex puluere, quo Cæsar Scaliger vtebatur magna cum Hæmoptysicorum utilitate, qui tamen puluis descriptus reperitur apud Serapionem cap. 25. tract.2. vt annotauit Valetius Exercit.27. ad Hollerij de Morb.internis lib.1. Io. Schenkius refert hoc puluere quendam curatum fuisse ab eodem Scaligero, & ità paratur. ℞. spodij,ros.rub.bol.Arm.terræ sigill.hæmatit.ana drac.5.corall. rub. carab. margarit. non perforat. ana drac. ij. 5. gummi Arab. tragac.ana drac. ij. sem. papau. portul. sem.mal.sem. ros.rub.sem. plantag.cornu cer. combusti ana drac.iij. acac. succi barbæ hircinæ, succi liquirit. ana drac.ij. amyli torrefacti drac. iij. Terantur, misceantur, f. puluis, cuius dosis sint drac. iij. ex aqua pluuiali. Quo remedio nouit idem Valetius quendam suum conterraneum, qui alternis temporibus multum reiectarat sanguinem, nec ullis potuerat remedijs sanescere, breui cōualuisse. Probo quāmaximè iula-

iulapium, quod in hunc modum concinnatur: ℞. aquæ pediculi rosarum, aquæ sanguinariæ, ideſt, centinodiæ, aquæ burſæ paſtoris ana vnc.iiij. ſacch. albi lib.5. f. iulapium. Probatur etiam mihi & eclegma quod ita conficitur: ℞. pul. diatragac. frigidi drac.ij. conſer.viol. drac.iij. loch de papau. vnc.5. lap. hæmat. in aqua plantag.loti drac.j. rad. iridis Floren. ſcrup. ij. ſacch. candi, penid.ana vnc.j.cum ſyr.viol.& de roſ.ſiccis fiat eclegma, ſenſim, & paulatim degluttiendum. Item & hoc aliud, quod recipit ſyr. roſ.ſicc.de papau.& cydon.ana vnc.j.pul.cor.cer.vſti, lap.hæmat. ana drac.j. maſtich. ſcrup.j. aquæ plantag. portul. centin. ana q. s. f. iulapium, cuius ſit vſus, vt ſuprà. Non negligantur catapotia, ſeu pilulæ vocatæ hypoglottides, aliter lupinares trochiſci, ineunte præſertim ſomno ſub lingua continendi, quales forent ſi acciperetis gummi tragacanthi,& Arab.in aqua roſ.diſſolut. ana vnc.j. amyli drac.ij. boli Arm. terræ ſigill. ana drac.j. maſtich. ſcrup.ij. cum ſyr.myrth.f.troch.in forma dicta: Vel huiuſmodi alij: ℞.tragacanthi, gumm.Arab.vt ſupra diſſol.ana drac.ij.acac.balauſt.ana drac.j.cinam.craſſi drac.5. ex ſyr. roſ. ſic. redigantur in pilulas ſub lingua tenendas. Inter conſeruas, condita, electuaria,& quæ opiata dicuntur, nullo, aut paruo diſcrimine, mihi placet, quæ recipit conſ.roſ.ſicc. vnc.ij. boli Arm. drac.iij. terræ ſigill. drac.ij. corall. rub.carab.cor.cer.vſti ana drac.5.ſyr.myrth.q.s.f.opiata in forma electuarij, aut loch. Item ℞.rad.ſymph. decoctarum in aqua portulacæ, ſacch. roſac. antiqui ana vnc.ij. ſem. plantag. corall. rub. terræ ſigill.tragac.ana drac.j.cum ſyr.roſ.de roſ. ſic. q.s. miſce. Præterea ℞.conſ.roſ.antiquæ vnc.ij. conſ. rad. ſymph. vnc.j. trochiſc.de carabe, diacorall.& diamarg.frig.ana ſcrup.j. trochiſc. de caphura ſcrup.5. ſacch. roſ. tab. q.s. f. conditum multiplici auro deaurandum. Tandem laudatur medicamentum in forma electuarij ſub nomine Nicoli Florentini, qui tamen illud ex Continente Rhaſis deſcripſiſſe dicitur, quod olim Germani quidam medici in arcanis celabant: ℞. hyoſcyami albi, ſem. papau. albi ana drac.x. terræ ſigill.corall.rub.ana drac.5.ſacch.roſ. antiquiſſimi f. electuarium, cuius doſis eſt ſemidrachma, manè, & veſperi, præmiſſis vniuerſalibus, vnde craſſior redditur ſanguis. De quo medicamento loquuntur in ſuis Epiſtolis Eraſtus, & Io. Crato Medicus

Cæſa-

Cæsaris,qui tamen ei præfert vſum diuturnum chamædryos.Quæ quidem omnia tutò, ac vtiliter adminiſtrari poſſunt, antequam ad ſtupefacientia,ſeu Narcotica dicta accedatis, quæ quidem à Galeno & alijs,neceſſitate cogente,in vſum deducuntur, & magnam ſæpè afferunt vtilitatem, quatenus altiorem ſomnum inducunt, & à Tuſſi aliquandiù liberant, cuius perennis, aut frequens motus ſpiritales partes vulneratas lancinans fluorem ſanguinis adhuc magis proritat.Galenus ipſe 5.Met.vtitur Diaſpermate,& Theriaca nouella. Vnde memini me legiſſe apud Heurnium de Morb.capitis 29. quòd in perniciosa Tuſſi cuiuſdam mulieris,à qua diù noctuq. defatigata nunquam ſomnum capere poterat, poſt multa alia fruſtrà imperata, Theriaca noua fuerit exhibita & per ſomni reuocationem,materiæq.fluentis interceptionem,ab ea mox Tuſſi fugata, mulier ſana euaſit. Talem fuiſſe Theriacam, quam Galenus vnà cum decocto ſymphyti Hæmoptyſicis propinabat lib. de Ther.ad Piſonem nemini dubitandum eſt, nec non & illam, qua Phreniticos multos fuiſſe ſeruatos ibidem cap.10. refert, expugnatis videlicet vigilijs, ac viribus inde fractis ſomni reuocatione ſolidatis, quo nihil Phreneticis vtilius eſt, quippe cuius etiam humectatione, illorum delirium mirè ſedatur atq. cõpeſcitur, id quod præſtare recens creditur Theriaca propter Opium, cuius uis adhùc intra ſex menſes integra viget, vnde refrigeratio, ſoporatio, atque obſtupefatio diuinæ compoſitioni illa in ætate accedunt. Theriaca ergò recens, hoc eſt, quatuor tantùm, vel,ad ſummum,ſex menſium præſcribi poteſt.Neque enim puto eſſe hìc adhærendum ſententiæ Iul.Cæſaris Scaligeri Viri alioquin acerrimi ingenij, ſed hac in re fortaſſe plus æquo ſubtilis, quaſi milium terebrare tentantis, dum de Subtilit. ad Cardanum Exercit.33. ſic ſcribit. Theriacam verò primis ſex menſibus eſſe frigidam propter Opium, qui profitentur, ad pauca reſpexere, præſertim cum de Opio noua, & inaudita ſuo loco. Vbi ſubtiliſſimus Philoſophus nec concedere, nec agnoſcere videtur in nouella Theriaca frigiditatem, præcipuè quæ ab Opio pendeat, de quo alibi noua, atque inaudita ſe locuturum pollicetur. Locum verò hunc apud eum videre adhùc mihi non licuit. Quæ autem promittit, ſi diuinatione vti licet, non alia eſſe exiſtimo, quàm quæ Opij calidita-

ditatem atteſtantur, vt non ob ipſum credibile ſit, Theriacam frigefactoriam poſſidere facultatem, ſicut paſſim traditur ab ijs, qui, vt Scaliger ait, ad pauca reſpiciunt. Eſſentiam cuiuſque rei explicant, ac declarant eiuſdem rei effectus, qui in Opio caliditatis, non frigiditatis eſſe videntur. Nam in primis ſapor Opij non obſcurè amarus percipitur; vnde Turcæ, qui ſæpè illo vtuntur, repentè deuorant, non mandunt, more eorum, qui Hieræ catapotia ſumunt, qualis ſapor caliditatis eſt, non frigiditatis ſoboles; atteſtante id ſæpiùs Gal. & præſertim 4. Simpl. med. 7. & Alexandro Aphrod. qui 2. Prob. 71. ſic ait: Amarorem ſiccitas, & calor plenior creant. Cui argumento à rei natura deprompto reſpondent effectus ac ſymptomata à deuorato Opio oriunda, inter quæ cum alij, tum Nicander refert inflammationem labiorum ab inſigni veneni amarore excitatam, quæ primùm ea corrodit, & ardorem mouet, quo fit vt dolor ſubſequatur, ægerq. aliquoties à ſomno quantumuis profundo excitetur, accedente quinetiam totius corporis pruritu perquàm moleſto, quæ duo apertè arguunt in Opio calorem, non frigus; Quibus addo Aſiaticorum omnium Turcarum conſuetudinem ſumendi frequentiſſimè Opium, idq. copioſiùs tempore, quo in bella ruunt, vt potè à quo animoſitatem, ac veluti furorem quemdam ſe acquirere teſtantur. Inſuper ex Plinio loco mox citando, Opium ſyncerum ac minime fucatum in lucernis mox pura lucere flamma: Sed quæ promptè igneam flammam concipiunt, quis adeò frigida cenſeat? Hæc ſi ab Opio prodeunt, quomodo ab eo Theriaca, ex tot alijs conflata euidenter calorificis medicamentis, frigefaciendi vim obtinebit? Contrà verò Medici ferè omnes, præſertim Nicander, Dioſcorides, Galenus, Plinius, & alij Opium vberiori quàm par ſit copia hauſtũ inter illa recenſent venena, quæ, frigefaciendo & extinguendo natiuum calorem, homines enecant, quod olim in Hiſpania expertus fuit Licinij Cecinnæ Prætorij viri genitor, vitam odioſam ex impatibili valetudine Opio copioſè hauſto abrumpens, vt refert Plinius lib. 20. cap. 18. cuius propterea aſſumpti hæc ſunt accidentia, ſopor grauis, refrigeratio, & vniuerſi corporis pallor, ob magnam veneni frigiditatem, quod confeſtim palpebras tanto torpore afficit, vt apertæ manere nequeant, & partes internas ita letha-

lethaliter refrigerat, vt halitus etiam ſurſum expirans, atque ab ore manans, frigiditatem præſeferat. Confirmatur Opij venenoſa frigiditas à modo ſanationis, iuxta illud Hippocratis; Oſtendit autem ſanatio. Nam,poſt communia auxilia veneni ſubſtantiam educentia tam per vomitoria, quàm per clyſteres, fortes quidem ſecundùm Dioſcoridem, & Auicennam, ſecundùm Galenum autem fortiores in Meconio,quod ab Opio vix differt(Plinius tamen multùm Opio ignauius illud eſſe notat) vt amborum generationis modus, & compoſitionis ratio oſtendit, non adeò fortes, ſed mitiores in Opio,ob cauſam fortaſſe à Capiuaccio allatam, ſtatim inſtituitur curatio per remedia ſpecialia magnoperè calefacientia, è quibus primò vinum eſt quammaximè meracum, vt vehementiùs veneni frigiditati reſiſtat, illudq. ſuperet priuſquàm deuehatur in cor, quod ſi oligophoron foret, contrarium prorſus eueniret. Eidem propterea vino cinnamomum adijcit Dioſcorides,Nicander verò mel, quod Hymmetidum opus appellat, ab Hymetto Atticæ, quæ regio Græciæ eſt, monte, vbi flores pulcherrimi perpetuò ſunt, atque ſuauiſſimi, nec non & apes mel optimum conficientes, quod Martialis nobile nectar apum vocat. Tandem niſi ab Opio, quod adhùc ab alijs calorificis rebus, nondum ſcilicet facta fermentatione, haud quaquam refractum eſt, Theriaca recens frigefaciendi vim nanciſcatur, ac ſtupefaciendi, quod ſenſus ipſe indicat, dum inter Narcotica, ac dolores ſedantia, partis dolentis acutie ſenſus retuſa ac ſtupefacta, eiuſmodi Theriaca principem locum obtinet, ego quidem non video vnde hæc illi tam diuerſa operandi virtus accedat, pro ætatis, ac temporis ipſius diuerſitate, vt ſcilicet in bilioſis naturis ac morbis, & in æſtate recens ac nouella, contrà in frigidis, & præſertim pituitoſis, ac in hyeme Serena vocata Andromacho, dico mediæ ætatis, & vetuſtior paſſim ab omnibus præſcribatur, ac celebretur. A prędominio igitur Opium frigefactoria conſtat qualitate, qua etiam nos enecat, natiuum noſtrum calorem extinguendo, dum nimis intensè refrigerat, & iuxta hanc Opij facultatem in noua etiamnũ Theriaca, in qua nondum eſt fermentatum, vis ineſt ſomnum conciliandi,dolores ea qua dixi ratione obſcurandi,aut demulcendi, fluxioneſq. tum ſanguinis, tum cæterorum humorum compe-

ſcendi,

ſcendi, cenſeat contra communem Medicorum ſententiam quidquid ei lubet ſapientiſſimus Scaliger, cuius rationes pro Theriaca non frigida, nec ſomnifera maximè propter Opium, ſi aliæ non adducuntur, quàm quæ à me ſuprà excogitatæ fuere, parùm firmæ iudicabuntur. Licet enim Opij non vna eademq. ſubſtantia, nec vnum idemq. ſimplex corpus eſſe à Medicis ſtatuatur, ſed multiplex, quodque compoſitam ex pugnantibus facultatibus naturam ſortitum eſt, vnde vt partes, ita etiam effectus in eo diuerſi ponuntur, quorum nempè alij frigiditatis, alij caliditatis manifeſta ſunt ſoboles, ob eiuſdem ſubſtantiæ diuerſitatem, qualis in lacte, ſanguine, propiùs in Hyoſcyamo, ſeu Alterco, quod cum refrigerandi, atque calefaciendi vim poſſideat, meritò à Plinio vino comparatur, & in alijs multis corporibus elucet, nihilo tamen certius frigidæ Opij partes & quantitate plures ſunt, & qualitate ſeu gradu intenſiores, quàm calidæ, ex quo fit, vt ſecundùm ſolas partes frigidas, & nos ſopiat, quod idcircò antiquitas ſopionem vocauit, & amplè hauſtum interimat, tamquam algida venena, quòd frigidæ hæ partes in quarto gradu eſſe dicantur. Audio autem Turcas Opium præcipitanter deglutire, ne intra os detentum & commanſum dentes nimio frigore ſtupefaciat, & celerem nimis eorumdem caſum moliatur, natiuo illorum calore velut extincto. Imò videntur Turcæ Opio vti exigua admodum doſi, non ferocitatis inde acquirendæ gratia, ſed pro conſeruanda ſanitate, & medicamenti loco, quoniam videlicet obſeruatum eſt, eos qui illius eſui aſſueti ſunt, ſi abſtinuerint, ægrotare, & vitæ ſimul ſubire diſcrimen, vt eſt apud Garziam ab Horto Hiſt. ſimp. arom. c. 4. Mithridatium quoq. conuenit eiuſdem ætatis, vel aliquod aliud ex illis ſoporiferis, quæ ſuprà audiuiſtis, vt Requies N. Philonium Perſicum, Romanumuè, in quibus tamen ſemeſtre ſpatium, vel etiam annum expectandum eſſe rectè admonent omnes. Nec deſunt, qui deſcendant ad Pilulas de Cynogloſſa, dando hora ſomni grana octo pro ſingula vice, ac repetendo tribus diebus. Niſi recens adſit Theriaca, ſic eam recentare medicus poteſt, accipiendo ſcilicet Theriacæ opt. ſemidrachmam, Philonij Rom. gr. ſex, & ſuperbibere aquam papaueris rheados. Compoſitio tandem illa Nepenthes dicta, & nuperrimè à Iatrochymicis inuecta, nec

minùs

minùs re vtilis, quàm nomine iucunda, cum in parua admodum dosi sumpta facilè somnum reuocet, mihi magnopere arridet. Remanent extrinseca medicamenta Thoracis regioni potissimùm admouenda, nec non superest Curatio eorum, qui à refrigeratione in Hæmoptysim incurrunt, sicut aliquot inde emergentes difficultates, ac dubitationes; Quæ omnia in crastina Lectione absoluere conabor, postquam scilicet multa alia non minoris momenti circa Opium, ac Theriacam tam cum Auerroe, aut potiùs contra eum, quàm contra eumdem Scaligerum pro Medicis ex viribus disseruero. Singula enim hodie percurrere & vobis tediosum, & mihi graue nimis esset.

---

*Disputatur de Opio pro Medicis, contrà Auerroem, ac Valleriolam, sicut de sapore amaro, quomodo rebus & substantijs quibusdam inesse possit, quantumuis intensè frigidis, cum ipse sit caliditatis, non frigiditatis etiam soboles; Eiusdem Opij venenum quibusnam superetur, & ipsiusmet Scaligeri de noua Theriaca opinio singularis adhùc ampliùs Auerrois testimonio exploditur. De Medicamentis extrinsecis Pectori in primis, deinde Hepati, & Cordi admouendis, deque Curatione Morbi huius ex partium spiritalium refrigeratione suborti. Vbi Galeni methodùs defenditur, duæque tandem soluuntur difficultates, quarum vna est de modo, & forma Eclegmatum; Vtrum crassæ, vel tenuis, seu liquidæ substantiæ debeant esse; Altera de Localibus; Vtrum frigida, & adstringentia exteriùs Pectori sint apponenda. Qua in re Galenus ab euidentissima contradictione vindicatur.*

## Lectio, siue Cap. XVI.

NON pauca supersunt adhùc expendenda de Opij qualitatibus aduersus Auerroem, & Scaligerum, velut de virtute nouellæ Theriacæ contrà eumdem Scaligerum, inueterata, longoq. medendi vsu comprobata Placita, & rationibus quoque validis sufful-

suffulta se posse euertere autumantes, de quibus nunc primùm, agere decreui, vt inde quæ in hesterno Sermone examinaui maius aquirant robur. Dicebam itaque Scaligerum acerrimo præditum ingenio damnare Medicos, qui putant Theriacam recentem ac nouellam refrigerare, & hypnoticam, seu somniferam vim obtinere propter Opium, de quo se alibi noua ac inaudita allaturum profitetur, cumque mihi hactenus concessum minimè sit locum videre, diuinatione quadam vti cœpi, an scilicet hæc ea sint, quæ afferuntur de amaritudine Opij, & animi fortitudine, quam Turcæ in prælia ruituri ab illius vsu se adipisci testantur, quæ duo caliditatem, nullo autem pacto frigiditatem in Opio attestari videntur, iuxtà nimirum Galeni, cæterorumq; Medicorum iampridem iacta principia de saporum qualitate amara, & de his, quæ animositatem flammamq. excitant, quæ non nisi à calore, & calorificis rebus pendere ac fieri consueuerunt, contra quos propterea in Opio Auerroes, in Theriaca Scaliger disserit. Sed videor hìc audire aliquem vestrum obijcientem, quomodo vis noua dici & inaudita, quæ de caliditate Opij ex eius amaritudine, & calidis effectibus attulisti, si iamdudum Auerroes 5. Collig. cap. 27. aduersus Galenum de sapore amaro disputans, statuit vel Opium esse magis calidum, quàm frigidum, vel saporem amarum non esse perpetuò caliditatis sobolem, imò tam à frigore fieri cum siccitate iuncto, quàm à calore, sicut inuenitur color niger per calorem, & frigus? Cur non considerant Medici, inquit Auerroes, quòd in Opio intensa est amaritudo, & tamen Paralysim propter suam frigiditatem inducit? An ergò in mente Scaligeri quid aliud magis reconditum, ad quod rudi meo ingenio aditus non est? Rem nihilominus inchoatam prosequamur. Auerroes itaque ibidem concludit saporem amarum tam ex frigore posse fieri, quàm ex calore, modò frigus, vel calor cum terrestreitate seu desiccatione copuletur; Multæ sanè res efferuntur in medium pro exemplo, quæ cum amaræ manifestè sint, calidæ nihilominus haud sunt; Cineres etenim vstione geniti, frigidi ac sicci existunt, & vnà etiam amari. Cicuta amaritudinem non exiguam obtinet, quæ tamen vsque adeò intensè frigida censetur, vt frigiditate enecet. Præterea, subtiliter aduersus Galenum argumentatur ex eiusdemmet fundamen-

damentis. Nam 4. de Simp. med. fac. cap. 7. probat Gal. vel testimonio Theophrasti, arborum fructus initio austeros esse, temporis progressu, dum maturitati appropinquant, austeritate omni & aciditate sensim deposita, dulces euadere, addens primos illos sapores, acerbum, austerum, & acidum, fructuum sequi frigidam etiamnum naturam, temperamentoq. frigidos esse, vice versa, dulcem, salsum, amarum, & acrem, calidos, cui Auicenna consentit lib. 2. tract. 1. cap. 3. dicens; Non est possibile, vt sapores dulcis, amarus, & acutus & salsus sint, nisi in substantia calida, nec ponticus, stipticus, & acetosus sint, nisi in substantia frigida. Ex quibus acris est omnium calidissimus, mox amarus, post amarum salsus, & dein dulcis, cuius calor non immodicè nostrum calorem exuperat, sed velut aqua calida, cuius contactus maximæ est voluptatis, vbi refrixerimus, ea de causa, quam Gal. ipse docet. Hinc ideò Auerr. ad initium Cap. scribit, quòd dulcis sapor significat complexionem calidam, sed cuius calor temperatus est æqualiter, ad comparationem complexionis humanæ. Ex allata Galeni doctrina colligit Auerroes saporem amarum non perpetuò oriri à caliditate, vt idem Gal. censet, si per eum fructus omnes, cùm maturescunt, è frigidis euadunt calidi. Quippè maturitas, Aristotele assertore, concoctio quædam est, quæ non aliunde quàm ab adaucto naturali calore proficiscitur, vt contrà cruditas coctionis est priuatio, quæ caloris defectum comitem habet, apepsia dicta, vt altera pepsis. Quandoquidem fructus quidam sunt, qui etiamnũ crudi sentiuntur amari, sed maturescentes, omisso amarore, dulcescunt. Tales ergò fructus erunt, cùm amari sunt, frigidi, &, cùm dulces, calidi. Etenim si, dum maturescunt, calidiores fiunt, &, dum immaturi sunt, frigidi habentur, erunt sanè, cùm amari sunt, frigidi, dulcescentes verò calidiores. Nam, vbi etiamnum amarorem participant, crudi existunt, & ex consequenti frigidæ naturæ, at, cùm dulcescunt, frigiditatem iunctam cum amaritudine deserunt, caliditatem induentes; Quibus Auerroes permotus contendit amarum saporem semper à siccitate fieri, siue ea cum calore, siue cum frigore sit coniuncta. Hanc Auerrois doctrinam sequi visus est Franciscus Valeriola lib. 1. Enarrat. 4. quam tamen acriter impugnat Vallesius lib. 9. Contr. cap. 5. respondetq. Auer-

rois argumento, quam responsionem accipit ac magnoperè probat Io.Brauus lib.de Sapor.& Odor. Respondet autem Vallesius, non idem esse dicere, omnis amaritudo nascitur ex calore,&,omnia amara sunt calida, cum res aliqua possit esse excellenter frigida, quæ tamen expers haud quaquam sit calidarum partium,quarum causa amara fiat, vt cùm in alijs, tum præsertim in Cicuta apparet, quæ frigidissima cum sit, valde nihilominus etiam amara percipitur. Est quippè amarum omne, prout amarum, calidum, tametsi possit alio nomine esse quoque valde frigidum. Cum etenim amaritudo sit excellens qualitas, secundùm quam non facilè cedit, etiamsi pluribus contrariæ qualitatis partibus admista sit, ideò vbicunque reperitur, quàm clarissimè elucescit. Vnde si in vasculum aqua refertum tantillum aloes,aut myrrhæ quis inijciat, mox tota illa aqua amarescet. Sic non rarò in spontaneis præsertim vacuationibus per vomitum vndiquaque pituitosis amarus persentitur sapor, ob exiguam & sensum fugientem bilis portionem cum illis permistam. Quare nec inde affirmandum, si quæ res amaram se gustui præbet, calidarum partium plus habere, quàm frigidarum, vt nec liquorem conflatum ex aquæ libris, & modica aloe, calidum, ob exilem amaræ aloes portionem, esse, cum frigidus omninò sit, licet eumdem experiamur amarum. Sic itaque nil vetat fructus immaturos frigidos esse,& aliquando amaris quibusdam partibus præditos, quæ, dum fructus ipsi maturescunt, tamquam excrementitiæ excernuntur. Nec credendum Auerroi erat; ex sapore amaro, quem crudus habet pepo, dulcem fieri saporem, quo tantoperè participat, dum maturus est, sed ex aquosa humiditate vlteriùs elaborata, & concocta, expurgatis à coquente calore amaris substantijs. Qua etenim virtute peponis, aut cucumeris calor potens est ad aquosam illam substantiam dulcorandam, eadem etiam pollet ad expurgandas partes excrementitias, quæ peponi & cucumeri insunt, quibus sapor inhæret amarus. Tandem igitur considerandum erat Auerroi in similibus fructibus saporem dulcem ex amaro minimè fieri, sed media illos coctione effici dulces,seu id contingat quatenus in coctione separantur ac expelluntur à coquente calore particulæ amaræ, & elaborantur aquosæ vel humidæ, aut quatenus eædem partes amaræ,

fru-

fructibus ipsis per coctionem humidioribus redditis, vnà derelinquunt terrestreitatem quam vocant, seu ariditatem, qua vbi priuantur, similiter quæ illi associata est amaritudo exuitur, vice cuius dulcedo succedit, eiusq. locum occupat. Nam cùm amarus sapor ex calore siccitati iuncto nascatur, fit, vt, qualibet relicta qualitate, non modò remitti, sed aboleri etiam possit. Opium igitur, licet amarum sit, secundùm aliquot eius partes calidas, & siccas, attamen secundùm plures intensè frigidum est, iuxtà quod papaueri syluestri, è cuius capitibus velut lacryma & liquor quidam extrahitur, vt Galenus ait lib. 2. de Antid. cap. 7. iuremeritò respondet. Quam frigefactoriam qualitatem in Theriacæ mixto integram conseruat intra sex mensium curriculum, quòd nondum tota per tota facta tunc sit miscibilium alteratio, & vnio, quæ per fermentationem quamdam celebratur, vi cuius frigiditas Opij infringitur, ac tandem obscuratur à tot rebus alijs calorificam vim suam exerentibus. Iuxta quam doctrinam Auerroes ipse Tract. de Ther. cap. 3. dum ex Galeno, & Medicis commendat Theriacæ recentis vsum in cruentis fluoribus, & præcipuè in præsenti Hæmoptysi, dico ex partibus Thoracis, & Pulmonum, affirmat talem Theriacam quammaximè conferre crassefaciendo sanguinem, somnum inducendo, ac tussim sedando, propter id quod est in ea de Opio, addendo eamdem quoque iuuare roborando virtutem continentem sanguinem in venis, propter id quod est in ea de medicinis stipticis, sicut denique vulnus desiccando, propter medicinas desiccatiuas; sed ne à virtute nouellæ Theriacæ longè abscedamus, prout eam ab Opio nondum fermentato obtinet, audiamus eumdem Auerroem 7. Collig. cap. 18. quod est de Syncope proueniente causa doloris, in qua, si præsertim dolor ab humoribus biliosis & calidis oriatur, magnam habere proprietatem Philonium refert, propter Opium, vt ipse loquitur, receptum in ipso. & non ità pòst: Melius, inquit, Philonium est illud, quod non est vetustum superfluè, quia in eo virtus Opij est consumpta: non recens nimis, quia in eo virtus Opij superfluè abundare reperitur. Ecce quomodo etiam per Auerroem varia vis tum Philonio, tum Theriacæ inest, pro varia in primis Opij conditione à temporis diuersitate oriri solita. Vnde parcant tandem Scaligeri manens,

multiplex ac inæqualis operandi facultas Theriacæ, vt scilicet ab initio refrigeret, crassefaciat, somnum conciliet, ac stupefaciat, posteà verò calefaciat, pendet penitùs ex diuersa eius ætate, ratione potissimùm Opij, cuius in nouella Theriaca summa viget frigiditas, quæ quidem in eadem facta plurium annorum non nisi ab alijs admodum refracta, aut etiam exoleta vetustate habetur. Ab hac Disputatione expediti intermissam curationem resumamus. Post medicamenta igitur varia & quamplura intrinsecùs offerenda in curatione Hæmoptysis à Pulmone, perseuerante malo, ad extrinseca quoque deuenire oportet, quæ tum astringant, tum repellendo sanguinis motum compescant. Ita enim veteres omnes medicos factitasse constat, & præcipuè Galenum, qui æstate oleo melino, rosaceoue, hyeme verò nardino vnguento totum pectus perfundebat; vtrique etenim astringendi vis inest, imò & emplastrum Barbarum vocatum thoraci admouebat, ex bitumine, aceto, & alijs confectum, sicut & diachalciteos, aliter palmeum in mollioribus corporibus, quod tamen vt potè metallicum, & consequenter grauius aliquibus minùs placet. Celsus autem imponebat lanam succidam ex aceto, & spongia subinde refrigerabat. Aetius verò vtebatur vino astringente cum oleo rosaceo, aut myrtheo, quemadmodum & Trallianus. Paulus denique spongiam posca imbutam applicabat, sed à septimo die irrigatio fiebat cum rosaceo, vel myrtheo, vel lentiscino, cui interim vinum austerum esset additum, interim acetum, præsertim vbi multa sanguinis foret eruptio, tempore æstiuo, in robusto, atque carnoso ægrotante, & absente quoque Tussi, saltem vehementi. Quo etiam in casu vel actu frigida possunt adhiberi, alioqui tepidiuscula potiùs sint. Nonus Græcus medicus initio admouet Pectori lanam succidam cum aceto, & oleo rosato, aut myrthino, dein emplastrum de salicibus diaiteon vocatum. Placet vnguentum, quo non modò thorax, sed & colli atque ceruicis partes possunt illiniri, & quo Valleriola vti solebat: ℞. ol. mastich. cydon. & myrtill. ana vnc. 1. sem. hircini aqua ros. diluti drac. 1. 5. pul. pil. leporis minutissimè incisorum, corall. rub. boli Arm. sang. drac. olibani, mast. ana drac. 1. ceræ albæ q. s. f. molle ceratum: vnguentum santalinum pro extrinseca vnctione Pectoris valde etiam commendatur.

Vel

Vel vngendum Pectus oleis roſaceo, & myrthino ſimul commiſtis, quòd hæc alas partium ſpirabilium minimè arctent. Cataplaſmata quoque tamen varia proponuntur, inter quæ Aetio placet quod paratur ex hordei, & lentium farina, ac palmis, cum pul. acac. alum. malicorij, & ſymph. Paulus laudat ex farinæ polline, & manna thuris cum aceto. Sunt qui adhibent mala cydonia in vino auſtero decocta. Sunt etiam qui ad vehementiora ſe conuertunt ſed quàmcautè, & quanta cum præmeditatione deueniendum ad hoc ſit, nos commonefacit exemplum Hæmoptoici à Iacchino allatum. Cuidam enim iuueni neſcio qui medicus circumforaneus emplaſtrum ex gypſo, bolo, acacia, ſanguine draconis effecerat toti Pectori, adeò vt immobiles muſculi fierent, nec Pectus expurgari poſſet, eratque in eo ex cantu ruptio; qui quidem à vi maximè aſtringentium præfocatus obijt. Galenus in Hæmoptyſi à refrigeratione partium ſpiritalium, inde ſuborta magna Tuſſi, eaque Pectoris partes nimis lædente, Pectori ipſi adhibebat emplaſtrum ex thapſia, ad remouendam intemperiem, Tuſſimq. ſedandam. Sed, vt hoc meliùs intelligatur, duo obſecro verba de huiuſcemodi curatione, prout inchoata methodus poſtulat, & ſuprà etiam policiti ſumus. Vbi itaque ex Tuſſi vena rumpitur, & Tuſſis origo à refrigeratis Pectoris partibus emanat, ſcitote caſum hunc non eſſe parui pendendum, cum ſit arduæ curationis, ob id maximè, quia contrarijs pugnandum eſt indicationibus: nam ſanguis ex vna parte ſiſtendus eſt, quod non fit niſi refrigerantibus & aſtringentibus, ex altera verò ſedari Tuſſis debet, quæ primæ intentionis auxilijs manifeſtè augetur, & quæ illam abigunt, aut ſedant, vt potè calorifica, ſanguinis fluxum magis magisq. prouocant. Galenus autem ipſe in curando iuuene, qui propter Tuſſim ex ſpiritalium partium perfrigeratione in Hæmoptyſim incidit, hac methodo vſus eſt: nimirum reſpiciens ad id quod magis vrgebat, id eſt, ad ſanguinis profluuium, vt id ſiſteretur, ſtatim à principio venam ſecauit, quam iterùm, die ſcilicet altera, aperuit, nomine inquam reuulſionis; alioqui minimè conueniſſet ſanguinis miſſio, per quam internæ partes magis refrigerantur; mox vinculis, & frictionibus vſus fuit, & interim quoque medicamento ſoporifero Diaſpermaton, vſque in quartam diem. A ſecunda autem

ſanguinis miſſione, pectori emplaſtrum ex thapſia apposuit. Verùm, ſi veſtrum aliquis à me quærat, cur Galenus emplaſtro calefaciente, quod aperire vaſa magis valet, & ſanguinis fluorem adaugere, & cur narcotico, & valde refrigerante medicamento ſit vſus, in morbo partium ſpiritalium, quæ à refrigerantibus non parùm affici ſolent, ſciat Galenum ipſum à recta, qua ſemper cum magna apud omnes laude, & gloria vtebatur, methodo ſatis ſuperque defendi: nam, poſt reuulſoria auxilia, narcoticum obtulit, vt Tuſſis ſymptomati occurreret, ſenſum hebetando, & ita etiam proritationem; præter quam quòd tale medicamentum ſiſtendi etiam per ſe ſanguinem facultatem non obſcuram habet. Poſt ſanguinis verò duobus ſequentibus diebus detractionem, mox thapſiam Pectori admouit, nimiam extimeſcens perfrigerationem; quinimò ea vſus eſt, ad tollendam eius intemperiem. Sed obtrudet alter, nimis ſuſpectam eſſe, quia valdè calorifica, & à morbis vaſorum maximè prohibità. Attamen Galenus ne multum calefaceret, per interualla tantùm apponebat, nec diù ibi morari permittebat; qua medendi ratione & ſymptomati Tuſſis conſulebat, & tempus naturæ dabat, vt glutinaret. Quòd ſi tandem noxa aliqua à calorifico medicamento extrinſeco timebatur, hæc profectò corrigi ab intrinſeco poterat, quod erat Diaſpermaton. Poſt quæ omnia, iuuenem Galenus miſit ad Stabias, pro ſiccanda magis cicatrice, vt firmior euaderet. Denique inter ea, quæ forinſecus præſcribuntur, vel admouentur, laudant etiam medici omnes epithemata cùm hepati, tum cordi adhibenda, & in exemplum hoc eſſe poteſt: ℞. ſucci, aut decocti portulacæ, acetoſæ, plantaginis, & ſolani ana vnc. ij. ſucci abſinthij, aceti roſ. ana vnc. 1. trochiſc. ex ſpodio, & caphura ana ſcrup. ij. 5. miſce: Intincti panni, & expreſſi dextro hypochondrio, atque etiam ſiniſtro, vbi lien, admoueantur, nec non thoraci ad cordis regionem eiuſdem lateris dexteri, quia ibi præcipuè eſt vena caua ampliſſima: quibus in locis refrigeratus ſanguis minus fluxilis euadit. Vnctio pariter hepati fieri poteſt ex vnguento roſaceo, & ſantalino cum pauco oleo nenupharino, & aceto roſato. In hunc ergò modum inſtitui debet curatio Hæmoptyſis propriè ſumptæ à morbis, & cauſis iam ſignificatis. Sed ne quicquam in ea pro viribus relinquamus intactum,

ctum, aut quod abundè ſolutum, & enucleatum minimè ſit, nonnullæ in ſupra notatis latitant dubitationes nequaquam aſpernendæ, quas nunc quoque veſtra fretus humanitate, veſtroque ſilentio è medio tollere conſtitui. Prima dubitatio ſuſcitari, me iudice, poteſt in modo, & forma compoſitionis medicamentorum, quæ eclegmata, vulgo lambitiua dicuntur. Ex vna ſiquidem parte aſſerendum quòd componere ea ſit opus in forma, ſeu conſiſtentia craſſa potius, quàm liquida. Talium enim vis & ſubſtantia ſimul vt in Pectus, & Pulmonem demandari poſſit è ſummis faucibus, per guttur, & tracheæ caput, quod iter præceps omnino eſt, neceſſe eſſe videtur, vt è lenta quadam, & viſcida materia conficiantur, quoniam ſi liquida, per viam gulæ patentiorem ad ventriculum deſcendent, nec inde poterunt in tam pauca ſumpta quantitate ad Pulmonem vtiliter peruenire. Accedit, quòd ſi lentore, ac viſciditate participent eclegmata, in extremo ore dum moram trahunt, ſenſim aliquid eorum percolatur in arteriam, vt potus quoque aliquid tempore ſanitatis. Prætereà ſi talia ſint, in Hæmoptyſi à capite ad Pectus valdè citiùs ſanguinem illum cohibebunt, eundem incraſſando, & ſiſtendo. Ex altera parte, niſi in liquida offerantur forma, neſcio quomodo in Pulmones deſcendere queant, & notatu dignum iuuamen afferre: vim enim omnem ſuam in tracheæ ductibus relinquent. Ideò conſiderantes hoc veteres, præſertim Hippocrates, & Galenus, arteriaca ſemper conuenienti liquore diſſoluebant, ſiue ea darent ad quippiam è locis illis traducendum, ſiue ad illorum corrigendam intemperiem. Addatur, quòd ſi vuida, ſeu liquida ſumantur, per transfuſionem quoque, aut irrorationem (per rimam interpretatur apud Platonem Galenus 8. de Plac. Hipp. & Plat.) in intimiores illas partes deerrare aliquo modo poſſunt; id quod non eueniet in craſſæ conſiſtentiæ medicamentis, quia denſior eſt oeſophagi ſeu gulæ, & quæ hanc attingit tracheæ tunica, quàm vt craſſæ, lentæq. rei penetrationem admittat. Dicatis, quòd ſi ſermo ſit de ſiſtendo illo ſanguine, qui à capite ad Pulmonem, & Pectoris ſinum confertim irruit, aut etiam de compeſcenda fluxione, quæ Pulmones, vel tracheam irritat, & ad Tuſſim excitat, tunc magis probantur quæ ex craſſis & viſcidis conficiuntur, & quæ omnino craſſæ ſunt

consistentiæ. Ita enim sanguinem inspissant, & humores ad fluendum segniores reddendo crassitudine sua, quemadmodum & lentore, dum circa gutturis partes hærent, eosdem humores sistunt, quasi præoccupatis meatibus. Verùm si loquamur, prout nunc loquimur, de eclegmatibus ad sanandos Pulmonum morbos, & vlcera accommodatis, quæ proinde astringendi, & siccandi vi prædita sint oportet, cuiusmodi sunt multa ex illis, quæ suprà descripsi, crediderim ea debere potiùs esse liquidæ, quàm siccæ substantiæ, vt bona eorum pars intimiùs se se insinuet, in Pulmonis loca deerrans; nec quicquam refert, si portio aliqua ad ventriculi quoque fundum delabatur, quod pariter ne tam facilè contingat, docet nos Gal.4. meth.7. vtendi modum; cùm videlicet mandat ægrum iacere supinum, & quam diutissimè materiam illam in ore tenere, ac omnes laryngis musculos laxare remittereque, idest, non eos solùm, qui gutturis sunt externi, & interni, sed & qui fauces attingunt, quos astringimus, & mouemus cùm deglutire volumus. Iubet itaque, vt tùm æger dictorum musculorum vim remittat, quia deglutire non est animus, sed figi materiam, cui propterea etiam aliquid lentoris particeps adijci mandat, cuiusmodi sunt tragacanthæ gummi. Influit enim sic, vt ipse loquitur Galenus, sensim, & paulatim de medicamento aliquid sensibiliter, & manifestè in ipsam arteriam: quippe & cùm naturaliter se habet, scire licet potionis nonnihil hac percolari. Altera dubitatio oritur ex Galeni locis, in quibus de medicamētis astringentibus thoraci imponendis diuersimodè loqui videtur. Iam enim audiuistis, quomodo ipse met in Hæmoptysi refrigerantibus, & astringentibus vtebatur, eadem forinsecùs Pectori adhibendo; id quod similiter faciebant & alij antiquissimi medici, quorum pars non valde antè à me relata fuit. At contra horum medicamentorum vsum apertè clamat lib. de Const. art. cap.17. dicens: Maximè lædere eos noui, qui sanguinem ex Pulmone extussientibus, astringentia per totum thoracem medicamenta in orbem circumponunt; nam præter id, quòd eorum facultas in Pulmonem non penetrat, sanguinem etiam, qui in thorace est, ad viscus compellunt. Præterea non astringentia solùm, sed frigida, licet astringentia non sint, pari ratione nocere idem Galenus traditum nobis

reli-

reliquit 5.Meth. cap.6. illis in verbis: At verò quæ extrinſecùs profluenti particulæ admouentur, tum aſtringentia, tum citra aſtrictionem, frigida, hæc ipſe, veluti plerique medicorum, non vbique probo: ſed mihi contra omnino, quàm fieri res poſtulat, ipſum ſanguinem intrò compellere, ac venas, quæ in alto ſunt implere videtur. Vidimus enim quoſdam, qui ex Pulmonibus ſanguinem reijcerent, ex thorace refrigerato manifeſtè læſos. Ecce ergò quàm clarè Galenus ſibi contradicere videtur, dum alibi aſtringentia, & frigefacientia Pectori adhibet, alibi verò eadem impensè arguit. Verùm ſcitote Galenum non ſimpliciter, & abſolutè talia improbare medicamenta, ſed importunum tantummodò eorum vſum, nimirùm, ſi antè vniuerſalem totius corporis purgationem, &, ſi antequàm fiant reuulſio, & deriuatio, hæc ipſa Pectori admoueantur, quammaximè obeſſe poſſe, ſanguinem intimiùs in Pulmonem compellendo, quemadmodum etiam, ſi nimiùm refrigerent, & conſtringant, Pectoris muſculos ità debilitando, vt nec reſpirationi inſeruire, ne ea, quæ in thorace continentur, abundè expurgare valeant. Iuxtà hanc rationem Galenus damnat hæc ipſa localia; alioqui laudat, & in vſum deducit tamquam & ipſa curationi conferentia; quod patet ex eiuſdem Galeni verbis: Ergò omninò, nec ſine diſcrimine, nec omni tempore loca, quæ circa particulam, vnde ſanguis profluit, ſunt poſita refrigeranda ſuaſerim, imò poſteaquam in alia priùs auerteris. Nec verum eſt, quòd horum medicamentorum vis ad intima illa loca non penetret, quia, præter quàm quod ex Hippocr. ſcimus corpus totum tum intrò, tum foràs perſpirabile eſſe, ex Anatome quoque nobis apertè conſtat, medicamenta extrinſeca Pectori admota poſſe Pulmonibus virtutem ſuam communicare, medijs membranis inter ſæpientibus, aut ligamentis, per quæ Pulmones antrorſum potiſſimùm, & retrorſum thoraci annectuntur.

---

*De Curatione Hæmoptyſis à Diauroſi, ſeu corroſione, facta ab acri, & ſalſuginoſo ſanguine; Vbi nō ſolùm Purgationem, ſed & Miſſionem ſanguinis, ſecùs ac ſentire videantur Trallianus, Iouber-tus, & alij, conuenire Auctor oſtendit. Inſuper cuiuſmodi eſſe*

*debeat*

*debeat hæc ipsa Purgatio, & quando in ea liceat ad Diagridiata etiam descendere, & posteà de Epicerasticis, Sarcoticis, & Lacte præcipuè ad mentem Galeni, ac Tralliani peragitur, nec non de Balnei vsu.*

## Lectio, siue Cap. XVII.

REMANET tandem examinanda Curatio Hæmoptysis à Diaurosi, seu corrosione, facta ab humoribus acrioribus, & præsertim aut à sanguine salsuginoso, aut à Catarrho vel amaro, vel salso, quæ causa non minùs frequens est, quàm sit difficilis & arduæ admodum curationis, propter nimirum exesæ partis substantiam deperditam, quæ refici, & reparari vix potest. Vnde licet superiùs multa in medium protulerim auxilia cuilibet Hemoptysi communia, quæ ideò & huic ab erosione enatæ adaptari commodè, ac vtiliter possunt, nihilominus tamen plura adhuc notanda supersunt, quæ præsenti causæ, & morbo peculiari quadam ratione conuenire videntur. Verùm, antequàm ad Hæmoptysim descendam à salsa capitis destillatione progenitam, decreui paucis tradere modum curandi sputum sanguinis à corrosione, quam efficere, ac excitare valet mordax, & biliosus valdè sanguis in corporibus picrocholis, aut aliter cacochymis. Vbi ergò per signa allata cognoueritis ab erosione vasorũ Pulmonis, ob acrem, & salsuginosum sanguinem genita, absque Catarrho, Hæmoptysim ipsam oriri, prius quàm latiùs erosio serpat, & vlcus amplius euadat, cum illarum partium substantiæ deperditione, prospiciendum illicò est toti, ac vniuerso corpori tam per sanguinis missionem, quàm per ipsam purgationem; nec à sanguine mittendo vos reuocet Tralliani, & aliorum quorundam sententia, dummodò in eo auferendo à Galeni methodo ne latum quidem vnguem discedatis. Quòd enim aliqua sanguinis detractio necessaria sit, patet ex natura affectus, & præsentia indicantis. Quandoquidem sanguis adest, in affectum locum defluens, qui licet non adeò exuberet in toto corpore, attamen aliquam sui imminutionem indicat, veluti auersionem à vulnerata, seu corrosa parte, manifestè, nemineque repu-

repugnante, postulat. Fatebor siquidem & ego in corpore bilioso, & cacochymo sanguinem vix redundare, cùm diuersi à sanguinis natura humores in vitio sint, quibus propterea educendis purgatorium pharmacum ex vsu magis esse solet; sed cur non item mihi concedet Trallianus, sanguinem haud semper mitti, quia peccet sub nomine causæ principalis, hoc est, plethoræ, sed etiam quatenus rationem habet causæ vel adiuuantis, vel sine qua non, vt nostro in casu accidit; qui certè nunquam, etiam per valentissima epulotica, ad sanitatem reduci poterit, nisi sanguis prohibeatur fluere ad locum vulneratum, cuius siccationem, & vnionem perenni suo fluxu, & madore prorsus impediet. Accedit, quòd ex moderata sanguinis euacuatione iecur, quod in ijs solet esse quasi retorridum, mirum in modum attemperatur; qua ratione & Hippocr. 5. Epid. virum quendam in Emadis ex nimia viscerum caliditate, à qua ingens fiebat alimenti dissipatio, valde consumptum, & extenuatum, sanguine, etiam largè, misso perfectè sanauit. Quamobrem censeat in hoc quidquid velit Trallianus, & cum Tralliano Ioubertus, crediderim ego hìc pariter sanguinem magna cum ratione mitti, quamquam magnum non adest sanguinis sputum; (ita enim aliqui autumant se posse tueri Trallianum) quia iam scimus à principio ex tali causa sanguinem modicum, & pauca in quantitate excerni, sed non valdè pòst, nisi rectè instituatur curatio, copiosè nimis effluere, ideòque vt hoc præcaueatur periculum, & magnus morbus impendens, simulq́. omne tollatur impedimentum naturæ ad vasis vnionem moliendam, detrahendus sanguis est, reuulsionis saltem gratia, vt & ipse denique censet cum alijs Ioubertus, adeò fortis est veritas, quæ etiam nolentes ad se trahit. At si, præ nimia succorum prauitate, corporisq́. natura gracili, arida, tabulæque simili, timeatur de virium prostratione, tunc nemo est in solida medicina versatus, & in praxi aliquantisper exercitatus, qui non cognoscat eo nos vti debere modo, quem 5. Meth. Gal. edocuit. Iubet enim, vt tùm curatio per Epicrasim vocitata fiat, nempè, vt primùm corpus renutriatur, & renutritum paulisper euacuetur, deinde iterùm reficiatur, & iterùm modicè euacuetur. Ità namque, sæpius repetita hac operatione, sanguis depuratur à bilioso, & salsuginoso succo. Vnde & ob id ego

etiam

etiam laudo vulnus in vena fieri angustissimum, vt longiori tempore phlebotomia absoluatur, & tenuior sanguis potissimùm exeat. Extracto autem sanguine, cogitandum postea est de Purgatione, quam & hoc in loco per cholagoga blandiora superiùs notata, quàm per scammoniata, & diagridiata omninò laudo, si præsertim sanguinis sputum præsens erit, non imminens tantùm, aut impendens. Hoc enim tempore si quoquo pacto valentiora forent medicamenta, ad extrahendos è venoso genere prauos succos, & educendam materiam illam acrem, & mordacem, priùs quàm vasa corrodere inceperit, res esset, ni fallor, laude potiùs, quàm reprehensione digna, vt infrà vel Galeni testimonio ostendetur. Medicamenta igitur ab initio præscribantur ex cassia cum rhabarbaro, ex elect. lenit. vel diaseb.s. cum pulpa tamar. vel ex syrupo ros.sol.dissoluto in decoctione myrobalanorum citrinarũ, manna cum aqua plantaginis, vel aliquo alio eiusdem census. Postea, si dabitur præparantibus locus, ita poterunt præscribi. ℞.fol. plantag.portul.lactucæ,acetosæ,rubi, ana manip. 5. f.d. in iure pedum vituli, cuius quidem d. sumantur vnc.v. &, si æger decocta respueret,tradantur aquæ stillatitiæ eorundem simplicium,eadem dosi, aut etiam maiori, addendo syr.de portulaca, myrthini, ana vnc.j. misce. Pro purgatione autem horum acrium humorum, & salsuginosæ cacochymiæ hoc ipsum propinetis medicamentum: ℞. cortic. myrobal. citrin. drac.ij. 5. iuiub.sebest. ana vnc. 5. sem. plantag.drac. 5.trium flor.cord.fol.ros.rub.ana pug. 1.Decoquantur omnia simul ad vnc.iiij. & coletur; Colaturæ addatis rhabar. si in substantia, vt vocant, eiusdem subtilissimè puluerizati drac.j. satis erit, si in infusione, eiusdem modicè torrefacti infusi, & expressi drac.ij. syr.ros.de ros.siccis vnc.j.5. syr.ros.sol. vnc.ij. 5. misce, & f.p. Sin verò dandum sit in bolis, ego non discederem à iam recensitis, dico à diacatholicone, aut pulpa cassiæ,ac tamarindorum cum rhabarbaro in tenuem puluerem redacto. Quod si præsens adhuc non sit Hæmoptysis, sed potiùs per signa prodroma impendere eam suspicemini,& præcipuè si regio calida admodum non sit, nec anni tempus æstiuum, & in corpore non solùm valido,sed nec adeò gracili, & extenuato, ad catharticum ex illis, quæ alioqui mihi non arrident, interdum etiam inuitus condescen-

scen-

ſcenderem, vti ad diaprunum ſolutiuum, vnà tamen cum pulpa tamar. vel flore caſſiæ commiſcendum, aut etiam ad hoc, quod recipit flor. caſs. recens extr. drac. vj. pulpæ ſem. berberis ſcrup. ij. elect. è ſucco roſ. drac. ij. vel trypheræ Perſicæ drac. iij. cum ſaccharo f. b. cap. manè horis quatuor ante prandium. Pilulas non propono, quia videntur eſſe magis ex vſu in alia eroſione, quæ fit à ſalſa & maligna deſtillatione è cerebro, cum à partibus trahant longinquioribus, quas infrà propterea ſilentio minimè inuoluam. Poſt eiuſmodi purgationem probo quammaximè Tralliani conſilium, vt frequenter vſurpentur, ſeu alimenta, ſeu medicamenta fuerint, Græcis nuncupata ἐπικεραστικὰ, id eſt, contemperantia, quæ nimirum humoris διάβρωσιν committentis acrimoniam valeant emendare. Quare idem Auctor prudenter admodum tales Hæmoptoicos integra ptiſſana nutrit, & halica. Amylum quoque, & tragacanthum meritò idem laudat, ſed præ omnibus, ſi febris abſit, tam pro alimento, quàm pro medicamento, Lac proponit, & mollem recentemque caſeum, præſertim caprillum, vel bubulum. Poteſt verò Lac bibi ex pauco ſaccharo, vt meliùs digeratur, nec in ventriculo coaguletur. Sunt qui laudant in modum ferculi, ſeu ex friato pane, amylo, aut farina puriſſima in furno aſſata coctum. Ita namque etiam conſumpta pars mirè reficitur, & reparatur. Sed vbi relinquitur Galenus, qui de Lactis vſu, & electione omnium luculentiſſimè ſcripſit 5. Meth. 12.? Vbi inter cætera admonet pro Hæmoptoicis ita Lac eſſe alterandum, vt facultatem habeat aſtringendi, & ſiccandi. Quare vult ægros in locis degere, vbi pecudes paſcentes herbas, & frutices aſtrictorios, eiuſdem qualitatis Lac poſtmodum reddant; cuius naturæ locum prædicant omnes, poſt Galenum, inter Neapolim, & Surrentum, Stabienſem ſcilicet collem. Sed quia non vbique terrarum talis reperitur locus, quamuis ſimilem adinuenire non ſit difficile; vnde ſcribebat Iacchinus in 9. Rhaſis montem S. Iuliani, qui medium quendam tenet ſitum Piſas inter & Luccam, eaſdem habere conditiones, quas Stabienſis; idcircò vbi deſint huiuſmodi loca, ſicuti in regionibus longè à mare ſemotis, ſatis erit diligenter curare, vt capra, vel aſina, quarum Lacte vtendum eſt, nutriatur hedera, lentiſco, rubo, meliſſophyllo, polygono, plantagine, & alijs rebus, quæ

aſtrin-

astringendi, & desiccandi virtutem non obscuram habent. Præterea serum Lactis vel præparatum, vel etiam lambicatum, vt aiunt, idque pariter ex chalybe alteratum cum succis depuratis plantaginis, & centinodiæ, in magna copia exhibitum, mihi valde probaretur, etiam si febris adesset, ad iecinoris, totiusque venosi generis feruidum calorem obtundendum, & ad acrium quoque humorum naturam demulcendam; pro qua absoluenda intentione non displicent quæ extrinsecùs fieri solent vnctiones, & irrigationes, hepatis potissimùm regioni, per ea, quæ nudiustertius audiuistis; quibus addere nunc libet vsum Balnei aquæ dulcis tepidioris, non calidæ; quoniam vt Balneum calidum, si quis sæpe eo vtatur, hæmorrhagiam prouocat, vt apud Hipp. legitur 5. Aph. 16. & Gal. 1. Glauc. c. 13. ita Balnei tepidi aqua, & æstum sitimq. sedat, eodem Galeno auctore 1. de temper. & humorũ acrimoniam contemperat, atque mitificat. Sed quia vnà etiam hìc opus est renutrientibus, & absumptam ab erosione partem restaurantibus, idcircò præter ea, quæ suprà attuli in Diæta ab initio, & in vniuersum tradita, omnino placet Lactis vsus ex Galeno, ac Tralliano relatus, quoniam Lactis substantia triplex est, ob quam pariter triplici confert ratione, vt infrà etiam in Phthisi dicetur, & apertiùs declarabitur. Interim magnopere laudo rem peragi alijs Analepticis à Tralliano propositis, præsertim verò transacto morbi principio, imò post septimam, ne vires collabantur, vt gallinarum domesticarum pectora sine sale offerantur, velut pisces chartilaginei ac duræ carnis, & nemorales testudines elixatæ, nec non pedes vituli, & etiam suilli, atque auriculæ. At si propter caloris, & virium imbecillitatem, vt non rarò accidit, cùm exitus sanguinis perseuerat, aut iam Tabes ex relicto vlcere incœpit, huiusmodi alimentum vix coquere æger poterit, tamquam crassioris ac durioris substantiæ, tunc præscribi à vobis poterunt vel expressa ex eisdem gallinis, seu perdicibus, aut turturibus, quarum ventres refrigerante, astringente, & incrassante materia infarcti sint, vel destillata, quæ minima cum molestia, & perquamfacilè distribuuntur, cuiusmodi sunt quæ apud Hollerium notata reperiuntur, quorum vnum ad hunc prorsus modum posse parari affirmat: ℞. carnium limacum coctarum in vini austeri, & aquæ plantag. lib. ij.

con-

conseruæ consolidæ maioris, & rosſ. ana lib.j. cum decoctione limacum fiat distillatio in alembico. ℞. supradicti stillati lib. 1. coletur per manicam Hippocratis; cum sacchari rosati dissoluti in aqua plantag.vnc.ij. santali, spicæ ana scrup. 5. Aliud ità præscribit: ℞. conseruæ ros.cornorum, symphyti,ana vnc.ij.elect.diarrh. Abb.diamarg.frig.triasant. aromat. ros. ana drac.ij. spicæ, cornu cerui, corall.rub.puluerat orum ana drac.j. 5. trochiscor. de terra sigill.de carabe, de spodio, ana scrup.iiij. sem.acetosæ, portulacæ, plantag.ana drac.j. aquarum portul.ros.plantag.vini granatorum, ana vnc.iiij. decoctionis duarũ turturum, & vnius perdicis lib.iiij. cum mica panis albissimi infusi in vino granatorum, & carnibus vnius capi fiat distillatio. Coletur per manicam Hippocratis, vt prius. Per quæ & consimilia non solùm facilè nutriuntur ægri, eorumq.vires conseruantur, sed etiam corrosa substantia,aut consumpta pars quoquo modo reficitur, ac reparatur. De curanda autem alia Hæmoptysi genita ab erosione facta ab acri, & salsa destillatione à capite agetur in subsequenti Lectione.

---

*De Curatione, aut potiùs Præseruatione eiusdem mali à Destillatione tum salsa amaraue, tum insulsa, ac penitùs frigida. Vbi primùm ostenditur, quomodo ab vtraque fiat id vitij genus. Galeni medicamentum verè Catharticum à quibusdam obiectionibus liberatur, & Missio sanguinis commendatur. Deinde eiusdem Galeni opinio de calido Dropace, aut Metasincritico Cerato Capiti adhibendo expenditur, & à notis expurgatur. Tandem in Matrona Romana Sputum sanguinis ortum fuisse à Destillatione frigidæ humidæque materiei, nec non & à vehementiori Tussis motu, Galenumque in ea curanda rectam sequutum esse methodum, nec vlla egere aduersus Trallianum defensione, probatur. Vbi obiter notatur casus consimilis in nobilissima Moniali pertinacissima Tussi aptysta diu, noctuque conflictata, metasincritico capiti deraso adhibito feliciter ab Auctore liberata.*

Le-

## Lectio, siue Cap. XVIII.

FREQVENTISSIME in praxi exercenda occurrit Medicis Hæmoptysis illa, quæ oritur ex capitis destillatione spiritalia organa duplici potissimùm ratione afficiente, ac lacerante, nimirùm, aut propria & suapte natura, aut ex accidenti; primo modo, quando quæ defluunt & tenuia, & facultate erodentia, si intùs manent, viscus per se exulcerant, secundo, quia cùm excernuntur, Tusses prouocant continentes, vehementesq́., ob quas caput repletur, repletumq́. rursùs ad Pulmones demittit destillationis materiam, ita vt ob eam, quæ ex Tussi est, contentionem, vas aliquod rumpatur. Hæc illa est decantatissima Destillatio, quam Hipp. 6. Epid. 3. θηριώδη appellat, aut malignam, quæ tum in alijs, tum in ijs, quos idem πτερυγώδεες vocat, idest, alatos, seu quibus à tergo instar alarum prominent scapulæ, cuiusmodi constat ex tertio Epidem. ad Tabem idoneos esse, id mali genus parere solet. Ideò in Comm. Galenus non solùm de tenuis, calidæ, & erodentis materiei destillatione, quam ascendere scribit sublatam ab emisso in Tussibus spiritu, iterùmq́. circunsecatam deorsum ferri, cùm totam asperam arteriam non pertranseat, Hippocraticum sermonem intelligi debere refert, sed etiam de destillatione materiæ minimè acris, vel erodentis, sed omninò insulsæ, ac tenuis, quæ non facilè expectoretur, vt opus sit vi magna, validaq́. concussione, nec nō vehementi perenniq́. Tussi, ex quo solo vehementiori, ac diuturniori motu Pectoris ipsius partes dilaniantur, & vasa etiam Pulmonis tunc multùm agitati disrumpuntur, vt & ego non semel quibusdam euenisse obseruaui. Frequentior tamen & periculosior simul est sanguinis reiectio ab acri, & salsa destillatione enata, de cuius etiam curatione verba priùs facere decreui. Verùm, quia talis Hæmoptyseos curatio dupliciter considerari potest, nempe, vel cum Hæmoptysis ipsa genita iam est, & coniunctam habet destillationem, vel quatenus tantùm imminet, ac impendet ex maligno defluente humore, & quia pariter eadem ferè sunt curationis, quæ præseruationis auxilia, ne dicam, quòd

supra

ſupra tradita curatio Hæmoptyſis à bilioſo, & ſalſuginoſo ſangui-
ne vaſa abradente in Pulmonibus molliora, quaſi per omnia con-
uenit cum hac ipſa Hæmoptyſi ab acri & ſalſa deſtillatione ſubor-
ta; ſi neſcio quæ ad caput attinentia excipiantur, idcircò ad præ-
ſeruationem potiùs tradendam, quàm ad curationem propriè
dictam me nunc confero, cum præſertim ambo per ea, quæ heri
veſperi potiſſimùm audiuiſtis, & ampliùs hodie audieritis, à medi-
cis fieri ſoleant. Quicunq. igitur prauo, bilioſo, aut aliter cacochy-
mo habitu præditi ſunt, quique præterea oblongo ſunt collo, &
ſcapulas habent inſtar alarum prominentes, & compreſſo ſimul
atque anguſto ſunt Pectore, cum capite imbecillo, quod propte-
reà facilè repletur humoribus, qui a venoſo genere tranſmittun-
tur, quique ibi ſimiliter ex calidiori intemperie attrahente cumu-
lantur, hi ſanè promptiſſimè omnium in Sputum ſanguinis inci-
dunt, & Phthiſim, occaſione acris, & ſalſi catarrhi in thoracis ſi-
num, & Pulmonis ſubſtantiam foraminulentam delabentis, & hi
ſunt illi prorſus, quos Hippocrates 6. Epid. 3. πτερυγώδεες nuncu-
pat: In quibus quidem vbi apparere incipit deſtillatio ſalſa cum
Tuſſi, etiam ſi cruentum ſputum nondum reiecerint, valde tamen
timendũ, ne, perſeuerante huiuſmodi catarrho, Hæmoptyſis oria-
tur ab eroſione maximè facta vaſorum Pulmonem perreptan-
tium. Quare omni cum celeritate prouidendum, vt, ſi fieri poſſit,
deſtillatio aut penitùs inhibeatur, aut ſaltem à ſpiritalium orga-
norum ſedibus longè arceatur, & quæ inde oritur Tuſſis concita-
ta nimis, ac vehemens, propter materiei acrimoniam, quampri-
mùm demulceatur. Hæc autem Galenus perfici dicebat Purga-
tione totius corporis, ſub qua & Miſſionem ſanguinis cõprehendi
vult, deinceps Narcoticorum vſu, ac demùm capiti conſulendo.
Quare quantùm ad Purgationem, dico in præſenti caſu tantæ eam
eſſe vtilitatis, vt, ſi tempeſtiuè inſtituatur, præſeruare manifeſtè
poſſit Pterigodes, ſeu ad Phthiſim propenſos, à tanta labe: quæ
quidem vt tempeſtiua ſit, & congruo in tempore præſcribatur,
neque hìc expectanda humorum præparatio, ſed, vt alibi com-
monefeci, ſtatim à principio inchoantis deſtillationis Purgatio
imperanda, nec adeò lenis, & placida, qualis ſuperiùs à me pro-
poſita fuit, ſed aliquantò validior, etiam per cathartica, quia

pluribus vitioſis ſuccis redundantibus opus eſt medicamento, quo variæ excrementorum ſpecies educi queant, cuiuſmodi eſt medicamentum à Galeno propoſitum 5. Meth. 14. ex Aloe, Scammonio, Colocynthide, Agarico, Bdellio, Gummi Arabico, cuius tamen vice, & loco paſſim hodie vtuntur medici pilulis Cochijs, aut Aggregatiuis, quæ ambæ magnam habent cum pilulis à Galeno propoſitis affinitatem, aut etiam pilul. de Hiera cum Agarico leuioribus. At ſi morbum non adeò ſæuum fore coniectura eſt, per me vtile quoque eſſet, ab initio præſcribere tum leniens medicamentum, tum poſtea & alterantia vocata, iuxta modum, & formulas ſuprà notatas, ac tandem purgatorium pharmacum exhibere, vti catapotia nuper dicta, vel ex Agarico, & Rhabarbaro infuſis, addendo in conuenienti doſi ſyrupum de Polipodio, ſyrupum Roſatum ſolutiuum, Mel roſaceum ſolutiuum, vt varia corporis excrementa nec tardè, nec leuiter educantur. Magnum enim ſubeſt in dilatione periculum, & indicans adeſt, nempe vitioſorum humorum copia, ex qua imminet cruenti ſputi ex abraſione generatio, quod valdè magis poteſt, quàm prohibens, vt eſt vacuandæ materiæ cruditas, vbi ſcilicet à principio ſtatim deiectorium pharmacum propinandum eſt, alterantibus omiſſis, nec non etiam eſt magna corporis gracilitas, cum eiuſdem caliditate nimia. Quæ quidem valentior purgatio eò tutiùs fit, quò ſanguinis ſputum præſens non eſt, nec etiamnum apparuit. Quare à talium medicamentorum exhibitione nullum timeri poteſt ex illis detrimentis, quæ non ita pridem in iam præſente Hæmoptyſi omni cura cauenda eſſe dicebam. Vnde nec hillum quidem faciendæ ſunt obiectiones, quæ aduerſus Galeni medicamentum excogitantur, vt nec ſimiliter loci huius Galenici auctoritate aſtrui poteſt, blandiorem purgationem, quam ſuperiùs tantopere commendaui, ex arte haud quaquam eſſe. Aliud enim eſt loqui de purgandis corporibus, quæ licet propenſionem habeant ad Hæmoptyſim è Diauroſi, attamen longè adhùc abſunt à tanto ſymptomate, & aliud cùm ab ea iam præſente infeſtantur. Prætereà non pari ratione tractanda eſt Hæmoptois ab Anaſtomoſi, & copia ſanguinis dependens, atque ea, quæ imminet ex catarrho, in quo propter acrem materiam

impendet cruenta ſpuitio ab eroſione, non autem ab apertione: Quod ideò dico, ne quis putet Aloem, Scammonium, & Colocynthidem, quæ ſunt valde acria, & feruentia, perperàm à Galeno imperari. Indicantur enim ab eo, quod magis vrget, hoc eſt, à cocochymis humoribus, qui vacuari antè debent, quàm vaſa abradant, & Sputum ſanguinis ab eiuſmodi cauſa ferè ſemper inſanabile efficiant. Nec prohibentur à morbo vaſis, cui talia omninò inimica ſunt, quia nondum apparuit Hæmoptyſis. Poſt vniuerſaliorem Purgationem, quid de peculiari ad caput attinente, quæ fit per Errhina, & Apophlegmatiſmos. Naſipurgia non fiant niſi ex materia blandiori, ne ſternutamenta concitent, & Pectoris, atque Pulmonis partes percellant; Gargariſmata penitùs omittantur. Maſticatoria leuia ſunt qui imperant, præſertim ex maſtiche ſola, quòd tuta ſit, & Pulmonem corroboret. Quoad ſanguinis miſſionem idem cenſeo eſſe dicendum, & faciendum quod in heſterna lectione abundè fuit explicatum, eam ſcilicet conuenire, ſed non ità largè factam, imò non niſi per Epicraſim, vt eſt apud Galenum lib. 12. Meth. cap. 8. Hoc enim remedij genus non vno tantùm nomine conuenit; Et ſcitis ex Galeno in lib. de cur. rat. per ſang. miſs. quòd non ſolùm facienda eſt phlebotomia, quando magnus eſt morbus, ſed etiam quando futurus eſt magnus. Idem 5. Meth. ait: Vbi corpus diſpoſitum fuerit ad rupturam venæ, & Pectus anguſtum fuerit, & ipſe fuerit longus, & ſi nunquam inciderit in rupturam venæ, mittas tamen ſanguinem propter præcautionem; &c. Sed quia vires, vbi praui ſucci abundè coaceruati ſunt, parùm ſtabiles, & parùm conſtantes eſſe conſueuerunt, idcircò, vt, cum minori quàm fieri poſſit illarum diſpendio, aut iactura operatio hæc celebretur, mitti quidem ſanguis debet, ſed exigua in copia, & pluribus vicibus, cibo interim, & alternatim probæ nutritionis, facilisq́. diſtributionis ægrotante refecto. Quæ Galeni doctrina tam clara eſt, atque perſpicua, nec non longo medendi vſu ita comprobata, vt ſanè mirer de nonnullis, qui eidem tenebras offundere neſcio quibus friuolis argumentis auſi fuere. Poſt Purgationem ſtatim ad aliquod è iam propoſitis ſtupefacientibus deſcendere oportet, quia multifariam prodeſſe poſſunt, ſed potiſſimùm quia Tuſſim quan-

tocyus ſedant, partim videlicet cohibendo, ac velut intercipiendo fluxionem à capite ad Pectus, tum eam incraſſando, tum ſomnum inducendo, in quo effluxus quilibet præter ſudorem ſiſtitur, partim verò etiam ſpiritalium membrorum ſenſum obtundendo, & conſequenter proritationem; vnde Tuſſis motus vel nullatenus fit, vel adeò exiliter, vt non tam facilè lædere, ac dilaniare loca illa valeat. Poſtremò conſulendum capiti eſt localibus medicamentis, quæ cuiuſmodi eſſe debeant, non planè conſtat veteres inter, ac neotericos Auctores. Nam Galenus Ceratum applicat ex Thapſia, quemadmodum Pectori admouit in iuuene illo, qui ex refrigeratis ſpiritus inſtrumentis, & ſuborta inde Tuſſi, ad dimidiam heminam ſanguinem reiecerat. Sed in iuuene aderat frigida intemperies, ad quam corrigendam auxilio calefaciente opus erat: In caſu verò, de quo loquimur, ſuſpectus admodum eſſe videtur Thapſiæ, velut Synapis, & Stercoris Columbini vſus. Quandoquidem ſalſi, tenues, ac erodentes humores, qui à capite demittuntur, eiuſdem quoque capitis calidam & ſiccam arguunt intemperiem; Quod enim Iacchinus autumat à capite & cerebro nullo modo calida intemperie affectis, vitioſos ſuccos, vel aliqua determinata parte, vel ab vniuerſo corpore recipi, indeq. ad Pectus ita ſalſos, aut acres tranſmitti, nemini veriſimile ſit, parcant Iacchini manes. Quare Thapſiam capiti imponendo, augebitur calida eius intemperies, & conſequenter fluxio acrium atque tenuium humorum ad Pulmones, præſertim quia etiam adeò calidum medicamentum maximoperè valet humores eiuſdem naturæ colliquare: Quod quidem minimè ignorans Galenus 6. de Tuen. Sanit. 9. manifeſtè tradidit calidam & ſiccam capitis intemperiem remedijs frigidis, & humidis contemperandam eſſe, imò illos reprehendit medicos, qui medicamentum ex Thapſia, atque Synapi capiti adhibere ſolebant, quoniam ſi à calida cauſa membrum illud malè habet, talia medicamenta nocere affirmat, addens huiuſmodi ægros frequenter Balneo dulcis aquæ circa caput fouendos eſſe, quo tum calidos vapores, qui intra illud continentur, euocemus, tum vniuerſi capitis vitioſum temperamentum ad meliorem frugem reducamus. Quamobrem dum & hoc ipſum probè notat Trallianus, & poſt

eum

eum Ioubertus imprimis amplificat, ſciatis vos nihil noui per ip-
ſos hac in re doceri, imò id totum multos ante annos à Galeno
fuiſſe diligenter animaduerſum, & literis traditum. Vnde conſi-
lium Tralliani ſaluberrimum, quod vocat Ioubertus, quoties
fluxionis cauſa eſt præcalida capitis intemperies, roſaceum eidem
affundendi & per ſe, & cum frigida, idq́. ex alto, vt altiùs pene-
tret, nemo non videt originem trahere à Galeni dogmatibus,
atque doctrina, à qua quidquid boni dixere Trallianus, alijque
poſteriores Græci, id totum manifeſtè manauit. Sed quid igitur
pro Galeno, dùm calido capiti tam acre, & feruidum admouet
medicamen? An ſuæ doctrinæ oblitus, & immemor vbique de-
cantati dogmatis: Contrariorum contraria ſunt remedia, id Ga-
lenus fecit? Amens certè, aut malignus per me erit qui hoc cre-
dat, vel diuulget, nec vllo pacto ἠδὲλφις μένως ἰατρὸς appellandus.
Iam dixi hoc in loco agi de præſeruando homine prauis, & acrio-
ribus ſuccis vbique abundante, quorum etiam culpa deſtillatio-
ne erodente, ac Tuſſi ferina laborare cæperat, vt hinc præ fori-
bus Hæmoptyſim adeſſe à corroſione, quæ eſt omnium deterri-
ma, quilibet conijcere facilè poſſet. Ad quod euidens, ac breui in-
ſurgendum periculum præpediendum, mentis aciem dirigens
Galenus, & conſiderans in anguſto ſpem eſſe, niſi quamprimùm
venturi ſymptomatis generationi obuiã iret, ideò neglecta ad mo-
dicum tempus cauſa, nempe calida capitis intemperie, ad ſym-
ptoma imminens præcauendum ſe totum confert; mox intem-
periem corrigere aggreditur, pòſtquàm æger grauioris mali im-
pendentis periculum effugit. Quare mandat ab initio capiti im-
poni Dropacem, ſeu Metaſincriticum medicamentum, quod ſta-
tim à profundis eius partibus ad cutim attrahat humores illos,
qui ad ſpiritalia organa delabentes cùm Tuſſim, tũ eroſionem in-
ducere potuiſſent. Ab huiuſmodi enim medicamento maius vtiq́.
ſperandum erat auxilium, celeri facta deorſum ſurſum reuulſione,
quàm timendum eſſet detrimentum ex adaucta quoquopacto in-
temperie. In quem ſenſum ſcimus dictum ab eodem Galeno Vn-
decimo Meth. cap. vndec. de Oxymelite loquente; Nullum in
tota arte reperiri auxilium, quod citrà vllam noxam magnificè
proſit. Quòd ſi contrario modo loquitur, & operatur in citato

 loco

loco de Sanit.tuenda, nemini mirandum est, quia ibi curam non habet de præcauendo aliquo diro symptomate, sed solummodò de tollenda causa, seu intemperatura, priusquam nouos colligat humores; quæ propterea dat inducias, & regulari omninò methodo corrigi, ac in meliorem qualitatem mutari tempore potest. Vnde videmus Galenum, post vsum calidioris medicamenti, statim iubere ægrum salubriter refici εὐχύμοις, idest, alimentis boni succi, frictioneque, ambulatione, & Balneo, quasi hac ratione deinceps ipsam quoque sanare intemperiem velit. Concludatis itaque Galenum, cùm in morbo calido vtitur calido medicamine, non morbi, sed symptomatis morbo ipso grauioris rationem habere, vt sæpe in alijs multis casibus ab eo fieri solere norunt medici omnes, qui illius exemplo, atque doctrina ad symptomata sæua, quæ causæ, & morbi naturam induerunt, oppugnanda se conferunt, posthabita ad tempus principali causa, vt apparet in Febribus biliosis, quæ adiunctam habent cardialgiam, aut lipothymiam, quorum symptomatū gratia vinum promptè offertur ab omnibus, licet febris idea, & bilis natura penitùs reclament: sic & in dysenteria sæpum hircinum, ac oleum rosaceum infundimus ad leniendum dolorem, quæ tamen vlceri manifestè aduersantur; sic denique in colica diathesi Narcotica imperamus, vt dolor quoquomodo potest demulceatur, cū alioqui intestinorum discrasiam impensè adaugeant. Mirari ergò cesset Alexander, si Galenus, quem meritò diuinissimum virum vocat, in imminente, ob corrosionem vasorum, sanguinis sputo, ab acri & salsuginosa destillatione ad Pulmonis loca, vt eam reuelleret, ac interciperet, calido & acri Cerato vsus fuit. Antequàm enim per Epicerastica, aut contemperantia, tum capitis intemperies, tum fluentium humorum acris qualitas ad simmetriam redigatur, dubioprocul interim in Pulmone vlcus ex Diaurosi excitabitur, & consequenter Hæmoptysis, Phthisis, & Hectica febris. Formulæ autem talium medicamentorum variæ à me describuntur in priore Tomo, qui est de Morbis Capitis Frequentioribus, Lib. nimirum primo de Catarrho Lect. 10. quas ideò nunc breuitatis ergo relinquere decreui. (Tali curandi ratione nuper fęlicissime vsus sum in honestissima Moniali Illustrissimæ familiæ, quæ per biennium

nium ferè assidua, & vehementissima Tussi molestata, eaque apty-sta, vsque adeò tenuis & subtilis erat quæ deerrabat materia, veluti & salsuginosa, numquam potuit ab ea liberari, nisi, post vniuersalem totius purgationem, admoto capiti deraso metasincritico, ad formam mediæ cucufæ, instar phœnigmi, cuius efficacia tanta erat, vt, vel ante vesicarum excitationem, Tussis statim sedaretur, tantò magis post copiosissimam humiditatem ab vlceribus erumpentem; cuius beneficio per plures dies Tussis euanescebat, sed quia rursum oriebatur, eo quòd esset sedatio potiùs symptomatis, quàm morbi extirpatio, statui illi per 30. dies propinare decoctum Chinæ, & Sarzæ cum simplicibus quæ caput, & iecur vnà attemperarent, sudoribus blandissima arte elicitis; Et post huiusmodi medicationem bis repetitam, serum quoque lactis caprilli ad plures dies exhibui, à quibus omnibus præter spem omnium prorsùs conualuit. Monasterium est, quod vulgariter vocant *Torre de Specchi*.) Quoniam autem per iam tradita impossibile est posse vndequaque extirpari Catarrhũ, & impediri quominus aliqua ex parte in Pulmones deerret, Tussimq. prouocet, cum suspicione etiam ne ibidem ex longiori mora putrefactus vasa dilaniet, aut Pulmonum ipsorum substantiam mollissimam corrumpat, ea propter, quemadmodum suprà sanguinem grumosum quantocyus per Poscam dissoluendum, & educendum esse affirmabam, ita nunc dixerim catarrhalem materiam defluxam in Pulmones per mitiora quædam medicamenta, detergentia scilicet, atque expectorantia extraducendam fore, quæ nisi contumax sit, satis erit vti Mellicrato, vel aqua sacchari, sed si rebellis, & contumax, deueniendum erit ad syrupum de Farfara, de Hyssopo, & Loch de pulmone vulpis. In quem finem probo quammaximè vsum sequentis syrupi, qui Pulmones à tali materia infarctos detergit, eosdemq. roborat. ℞. passul. mundat. vnc. j. polip. querc. liquirit. rasæ ana drac. ij. vngulæ caballinæ, scabiosæ, pimpinellæ, centinodiæ ana m. j. sem. altheæ, & bombacis ana drac. j. Fiat decoctio ad lib. j. In expressione dissolue sacchari albi q. s. pro conficiendo syrupo mediocriter cocto, cuius frequentissimus sit vsus ex cochleari sine aquis. Vbi autem iam facta est corrosio, & propria excesæ partis substantia deperdita, vt sputum

non

non modò cruentum, sed & purulentum apparere inceperit, tunc præter communes indicationes, & præter auxilia omnia superiùs enarrata, peculiaris sese offert indicatio regenerandi partem erosam, atque consumptam. Quam quidem intentionem Galeno præstant 7.Catat. tum alimenta, quæ audiuistis, præsertim Alica, Ptissana, Lac, & quæ ex Lacte conficiuntur, tum quæ Sarcotica Græcis dicuntur, hoc est, carnem generantia, quæ partim suprà significaui, & attuli, partim infrà in Phthisi vberiùs percurram; ante quorum vsum, & administrationem conueniunt omninò quæcunque materiam defluxam, nec non & purulentam exsiccare, & penitùs absumere valent, de quibus abundè Galenus 5. Meth.6.& ego quoque non valdè post, cùm de Phthisi ipsa loquar. Ibi enim locus erit pro huiusmodi examinandis auxilijs opportunior. Quantùm verò denique ad Hæmoptysim spectat, ortam quidem ex destillatione, sed minimè salsa, aut aliter acri, imò potiùs insulsa penitus, & sua tantùm copia, aut iugi defluxu id mali genus producente, dum scilicet magnam, & concitatam Tussim excitat, à qua vasa distenduntur, ac disrumpuntur, non est cur multum temporis in eius tradenda curatione conteram, tùm quòd ea prorsùs conueniat curatio, quam diffusè admodum loco citato de Catarrho attuli; (acta enim agere velle viderer) tum quia à tali causa natam Hæmoptysim diligentissimè curat Galenus in Matrona illa Romana, cuius sæpè, ac sæpius facta à nobis mentio est. Verùm obtrudet aliquis historiam illius Mulieris à quàm multis primæ notæ Medicis Tralliani opinionem sequentibus aliter accipi, atque intelligi, nimirùm cruentum sputum in ea fuisse ex Diaurosi facta ab acri, & salsuginoso Catarrho. Cui responsum ex me sit, rem esse controuersam, sed pro parte mea stare quam plures non minoris famæ Auctores, qui contrariam prorsùs tuentur sententiam, negando penitùs Matronam illam sanguinem reiectasse à causa calida, seu ab acri, & erodente destillatione, vt in eiusmodi facienda curatione Galenus rectam Methodum seruauerit, pugnans aduersus morbum, & causam, non contrà symptoma solùm, vt putarunt quicunque in re minimè necessaria Galenum ab Alexandri Tralliani nota defendere aggressi sunt. In qua lite similiter proponenda non adeò immorabor,

rabor, cum de ea nuper adducto loco abundè egerim. Sanè, si à salsa destillatione prouenisset Hæmoptysis illa, non autem à frigida, & humida, ab ea scilicet vehementi concitata Tussi, quis credat id à Galeno singula semper adamussim enarrante prætermitti potuisse? Ibi enim Catarrhi tantùm meminit, & mox magnæ Tussis, per quam nobis significat Matronam illam dilaniato vasculo modicum sanguinis tunc primùm expuisse. Insuper quis vmquam in medendo animaduertit destillationem quantumuis acrem, & malignam tàm breui dierum spatio venæ erosionem efficere? Quatriduo enim pòst cæpit mulier sanguinem ex improuiso reijcere. Tandem numquam adduci potero, vt credam, destillationem salsam, tenuem, & corrodentem, quam Galenus cum Hippocrate 6.Epid.3. λάβρωσιν θηριώδη vocat, seu malignam, velut malum à venæ erosione genitum, quod Celsus lib. 4. cap.4. grauissimè nocere ait, & ego suprà ex eiusdem Galeni doctrina, aut numquam sanari, aut nisi tempore longissimo dixi, intrà adeò breue dierum spatiũ perfectè curatam fuisse. Audite Auicennam: Sputum sanguinis factum ex corrosione, est prauæ curæ, & difficilis, & est quasi illud, de quo desperatur: non enim sanatur, nisi cum remotione malitiæ complexionis, & illud non fit nisi in tempore. Quinimò conclamatum ferè est, vbi ex abrasione sanguis effunditur. Quod ita pronunciauit Oribasius; Hi soli incurabiles, quibus ex vitiosis succis erosio euenit. Nam, Aretæo teste, parte membri deficiente, ad solidationem vlcus non ducitur: rupturæ verò facilior solidatio, quia vulneris ora se contingunt; minimus autem in rarefacto vase metus est, nam refrigeratio, & astrictio satisfacit huic malo. Quisnam ergò è medicis crediderit tam citò liberari potuisse Matronam illam, si sanguinem ob corrosam venam à salsa destillatione expuisset? Hìc itaque finis erit Hæmoptysi propriè sumptæ, idest, à Pulmonum locis enatæ, quam subsequi, ac excipere vt plurimum solet Phthisis, seu Tabes ex vulcere Pulmonum, de quo genere Affectus in proximis Lectionibus verba faciemus.

*Finis Libri vnius, & Primi Morborum Pectoris frequentiorum, qui est de Hæmoptysi, idest, Sanguinis Sputo.*